



**Institutionum Juris Canonici Sive Primorum totius Sacrae  
Jurisprudentiae Elementorum. Libri Quatuor**

**Febeo, Francesco Antonio**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

**VD18 13560743-001**

Liber Secundus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63052](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63052)

273  
INSTITUTIONUM  
JURIS CANONICI  
LIBER SECUNUS.

TIT. I.

*De rerum Ecclesiasticarum divisione.*

1.  Uperiore libro actum est de jure personarum; agendum modo est de Ecclesiasticis rebus, quæ sunt altera pars tractandorum juxta divisionem indicatam à nobis in *tit. proœm. lib. 1. num. 2.*

2. Ecclesiasticarum igitur rerum species atque divisio multiplex est. Aliæ enim sunt res spirituales, aliæ temporales. Spirituales sunt, quæ immediatè ad Animam ordinantur, ejusque causa immediata sunt institutæ, qualia sunt Sacra menta, Ecclesiæ, Altaria & similia. Temporales autem, quæ immediatè corpori inserviunt, qualia sunt prædia, domus, aliaque ejusmodi, quæ ordinantur immediatè ad alimentum Ministrorum Ecclesiæ, aut ad Ecclesiæ sustentationem; unde saltem remotè ordinantur etiam ad bonum Animæ: quia sicut Anima sine corpore non vivit in Ministris Ecclesiæ; ita Ecclesia, aut Ministri Ecclesiæ sine rebus corporalibus in nullo proficiunt, ut dicitur in c. *Si quis objicerit 7.1.q.3.*

H 3

3. Rut-

IN-

3. Rursus res spirituales subdividuntur in corporales, & incorporales. Res incorporeas sunt quæ sensu corporeo percipi non possunt, cuius generis sunt virtutes, & interna dona Dei, item ea quæ in jure consistunt, pui a juse ligandi, jus instituendi, & similia. Res corporales dicuntur, quæ aliquo humano sensu percipi possunt, & hujusmodi sunt Sacraenta, res sacræ ac religiosæ, &c.

4. His prænotatis, juxta communem methodum Canonistarum, specialem tractatum de rebus incorporealibus hic non instituimus, cum plura ad illas concernentia dicta jam sint in prima parte Institutionum, aliaque plura dicenda sint infra suis in locis; sed immedia- tè progredimur ad tractandum de corporalibus, ac primum de Sacramentis, quæ earumdem rerum sunt nobilissima species, dicturi pos- te de rebus sacris, & religiosis, & ultimo lo- co de temporalibus.

T I T. II.  
De Sacramentis in genere.

1. **S**acramentum in genere definitur à Magis-  
tro in 4. dist. 1. c. *Quid sit Sacramentum: in-  
visibilis gratiæ visibilis formæ, ejusdem gratiæ  
militudinem gerens, & causa existens.* Hac  
definitio utpote aliquantulum subobscura, so-  
let

let in hunc, vel alium similem modum à recen-  
tioribus Theologis reformari: Signum sensibile à  
Christo Domino stabiliter institutum, collativum  
sanctificantis gratiae, ex opere operato, cuicun-  
que ob. cem non ponenti.

2. Constituitur ex rebus, & verbis, tam-  
quam ex materia, & forma, juxta Conc. Flo-  
rent. instruct. ad Armenos: quia res, quæ secun-  
dum se non significarent practicè, seu causativè  
gratiam, determinantur per verba ad eandem  
ita significandam. Cum autem institutio Sa-  
cramenti processerit à libera voluntate Christi  
Domini, qui annexere potuit, & voluit ali-  
quibus potius sensibilibus signis, quam aliis  
gratiam infallibiliter conferendam: sequi-  
tur illis tantummodo rebus, illisque verbis  
quodlibet Sacramentum constare, quibus se-  
cundum substantiam à Christo Domino est in-  
stitutum, ita ut si eadem substantialiter muten-  
tur, Sacramentum non ponatur.

3. Sed & ad validitatem Sacramenti requi-  
ritur etiam in Ministro intentio faciendi quod  
facit Ecclesia ex Florent. in loco cit. & Trid. sess.  
7. can. 11. quæ intentio juxta communem sen-  
tentiam debet esse vel actualis, vel saltem vir-  
tualis: utraque enim aliquo modo influit sive  
per se, sive per aliquid à se relictum in aetio-  
nem sacramentalem externam, & utraque satis  
est ad operandum moraliter humano modo;

sola

[H 4]

sola autem intentio habitualis, nempe intentio præterita non retractata, quæ nullo modo influat in prædictam actionem externam; ad Sacramentum non sufficit, ut tradit communis Theologorum sententia, teste Suar. to. 2. in 3. p. disp. 13. sect. 3.

4. Septem sunt novæ legis Sacraenta à Christo Domino instituta, juxta definitionem Tridentini sess. 7. can. 1. videlicet Baptismus, Confirmationis, Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Quæ multum differunt à Sacramentis antiquæ legis. Illa enim non causabant gratiam, sed eam solum per passionem Christi dandam figurabant. Hæc verò nostra, & continent gratiam, & ipsum dinè suscipientibus conferunt, ex Florent. in cit. instruct. ad Armenos.

5. Horum quinque prima ad spiritualem uniuscujusque hominis in se ipso perfectionem, duo ultima ad totius Ecclesiæ regimen, multiplicationemque ordinata sunt. Per Baptismum enim spiritualiter renascimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati, nutrimur Divina Eucharistiæ alimonia. Quod siper peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiam & corporaliter (pro ut animæ expedit) per extreamam Unctionem. Per Ordinem ve-

rò

rō Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter; per Matrimonium corporaliter augeatur. *Florent. in loc. cit.*

6. Inde fit, istorum Sacramentorum quædam esse necessaria, ita ut prætermitti liberè non possint. Talia sunt Baptismus, quia ex *Evang. Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Item Confirmatio, quæ in homine baptizato prætermitti non debet, nisi morte præveniente, ex *c. 1. de his 3. de consecr. dist. 5.* Item Eucharistia, quæ ad minus singulis Annis in Pascha suscipi debet ab omnibus utriusque sexus fidelibus, ex *cap. Omnis utriusque 12. de pœnit.* & remissiōnib. Item Pœnitentia, quæ necessaria specialiter est ei qui lapsus fuerit in lethale peccatum ex *Trid. sess. 12. cap. 1.* & præterea ex eod. *cap. Omnis utriusque suscipi* debet saltem semel in anno ab omnibus utriusque sexus fidelibus. Demum extrema Unctio, quæ conferri debet graviter ægrotantibus, de quorum morte probaliter timeri potest. Sed de his omnibus sermo erit infra in particulari, ubi in particulari, de his Sacramentis sermo erit.

7. Alia autem dicuntur Sacra menta voluntaria quia scilicet sine salutis æternæ dispendio pro cuiuscumque arbitrio regulariter suscipi possunt, aut non suscipi; qualia sunt Ordo, & Matrimonium.

8. Rursus ex prædictis septem Sacramentis, alia sunt, quæ imprimunt in anima characterem, hoc est signum quoddam spirituale, & indeleibile, unde iterari non possunt, in quo genere sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, ex Trid. 7. can. 9. Alia, quæ characterem nullum imprimunt, unde eadem iterari minime prohibentur, qualia sunt Eucharistia, Pœnitentia, extrema Unctio, & Matrimonium. Florent in loco cit.

9. Cum autem istorum omnium Sacramentorum Christus Dominus fuerit Institutor, ut supra dictum est ex Trid. sess. 7. can. 1. idem quoque Dominus est, qui in singulis Sacramentis principaliter operatur, unde homines Sacra-menta administrantes sunt tantummodo ejus Ministri, nec propriam personam referunt, sed Domini qui Sacra-menta instituit. Inde est quod quamvis iidem in administratione Sacramentorum debeant esse immunes à culpa mortali; si tamen contingat eos malos esse, nihilominus, quamvis illicite, valide tamen Sacra-menta conficiunt, dummodo omnia essentialia, quæ ad Sacra-mentum conficiendum aut confe-  
xandum pertinent, servaverint,  
ut definitur à Trid. in cit.

sess. 7. can. 12.

TIT.



T I T. III.  
De Baptismo, & ejus effectu.

1. His circa Sacra menta generaliter præcognitis, agendum primo est de Sacramento Baptismi, quod ut in loco supracitato loquitur Conc. Florentinum, *vita spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficiunt Ecclesia. Et cum per primum heminem mors introierit in universos, nisi ex aqua & Spiritu Sancto renascimur, non possumus* (ut inquit Veritas) *in regnum cœlorum introire.*

2. Baptismus latè sumptus dividi solet in Baptismum fluminis, Baptismum flaminis, & Baptismum sanguinis. Baptismus sanguinis est Martyrium, ita dictum quia sicut Sacramentum Baptismi per aquam emundat à culpa; ita & Martyrium, quod prodest etiam infantibus ante usum rationis, si illud patiantur in odium fidei, ex c. Baptismis vicem. 33. de consecr. dist. 4.

3. Baptismus flaminis dicitur perfecta contritio vel dilectio Dei super omnia, ea pte. erit quæ antecedit realem Sacramenti Baptismi susceptionem & includit votum ejus, quæ si iam à peccatis emundat, ex Trid. sess. 14. c. 4. unde quoad hunc effectum supplet vicem Baptisini aquæ. Dicitur autem Flaminis, id est Spiritus Sancti, quia amor Charitatis, & per-

H. 6

fectus

fectæ contritionis tribuitur inspirationi, & ad-jutorio Spiritus Sancti.

4. Uterque tamen iste Baptismus est solum metaphoricè Baptismus, neuterque est propriè Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum; imo neuter excusat per se à reali susceptione Baptismi fluminis, supposito quod hic suscipi possit ex c. Non dubito 149. de consecr. dist. 4. quia datur generale præceptum illius suscipiendi, iis verbis intimatum. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* quemadmodum propter præceptū subjiciendi clavibus Ecclesiæ omnia peccata mortalia, non excusat quia à confessione Sacramentali ex eo quod de suo peccato mortali actum perfectæ contritionis elicuerit.

5. Solus igitur Baptismus fluminis, hoc est qui per aquam ministratur, est verè, & propriè Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, atque conficitur per exteriorem corporis ablutionem cum aqua elementari sub præscripta verborum forma significante practicè seu causativè gratiam, & interiorem animæ ablutionem à culpa.

6. Materia itaque remota Baptismi est aqua naturalis, seu elementaris, ut clarè colligitur ex illo Joannis 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* & definitur à Trid. sess. 7. can. 2. post Florentinum in instruct. ad Armenos. Aliæ igitur aquarum species artificiales, quales sunt

quaæ

quæ ex herbis, aut floribus exprimuntur, non sunt apta materia Sacramento: quod idem de omni alio liquore differente specie ab aqua naturali dicendum est juxta communem Doctrinæ sententiam.

7. Materia autem proxima Baptismi est ablutio: hæc enim per formam Baptismi, (*Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ex c. 1. de Baptismo, & ejus effectu,*) determinatur ad practice seu causative significandam interiorem animæ ablutionem. Consistit ea ablutio in contactu successivo aquæ ad corpus baptizati, fierique valide potest vel per immersionem corporis in aquam; vel per aspersionem seu effusionem aquæ in corpus. Olim de præcepto fiebat tria mersione, ut constat ex c. *Si quis presbiter 78. aliisque de consecr. dist. 4.* idque ex dupli ratione, ut indicatur in c. *Postquam vos 77. ead. dist.* Primo quia illa demersio typum exprimebat Dominicæ sepulcræ, & Dominus tertia die resurrexit: secundo ut Baptismus confertur in nomine Sanctæ Trinitatis, non solum verbo, sed etiam facto, ad confutandum expressius Eunomitarum, aliorumque hæreticorum errorem, qui à Baptismo excludebant Sanctæ Trinitatis invocationem; quorum hæresis cum postea evanisset, cessavit jam pluribus in locis obligatio illa trinæ immersionis. Debet tamen quoad hanc servari Ecclesiæ Dixi-



cessanæ consuetudo, ut Baptismus non solum valide, sed etiam licite ministretur: alicubie-  
nim est consuetudo baptizandi per immersio-  
nem; alibi autem per effusionem. Colligitur ex  
c. de trina 79. de consecr. dist. 4.

8. Subjectum capax Baptismi est omnis ho-  
mo viator, non solum adultus, sed etiam Infans  
statim ac ex utero matris prodiit *c. firmiter de  
Summa Trinit. & Fide Cathol. c. majores 3. de Bapt.*  
*& Trid. sess. 7. de Bapt. can. 13.* Imo in casu necessi-  
tatis posse baptizari Infantem antequam totus  
de utero matris prodierit, dummodo saltem na-  
tus sit secundum aliquam notabilem seu princi-  
palem sui partem in qua Baptismus perfici pos-  
sit, ostendit praxis Ecclesiae.

9. Illud tamen discrimen est inter Infantem  
qui baptizetur, & inter adultum, quod in In-  
fante nulla ex parte ipsius dispositio prærequi-  
ratut, quia Christus, & Ecclesia eorum volun-  
tatem, & intentionem supplet, ut docet D. Th.  
ab omnibus receptus 3. p. q. 68. art. 9. ad 2. At in ad-  
ultis, ut valide, & licite Baptismum recipiant,  
requiritur intentio, saltem præterita quæ mo-  
raliter duret, & retractata non sit, suscipiendi  
Baptismum, ut sumitur ex cit. *c. Majores*, aliis-  
que traditis à Suar. *to. 3. in 3. p. dis. 24. secl. 1.* Item  
ut iisdem Baptismus digne ministretur, opus  
est ut habeant fidem Trinitatis & Iesu Christi  
&c. unde debent prius instrui in articulis fidei,

&amp;

& in præceptis à Christiano servandis, juxta illud Christi Domini Matth. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes &c.* & illud Marci ult. *Qui crediderit. & baptizatus fuerit &c.* Deniq; opus est ut habeant contritionem seu attritionem de peccatis commissis, juxta illud *Auctor. 2. Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum &c.* Desumuntur etiam hæc ex cit. 6. *Majores 3. de Baptismo.*

10. Minister Baptismi, quoad Sacramentum valorem, & in casu necessitatis potest esse quilibet, non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam laicus, & mulier; imo etiā paganus, & hæreticus, dummodo formam servet Ecclesiae & facere intendat quod facit Ecclesia, ex *Florent. in decr. ad Armenos. c. firmiter de Summa Trinit. Trid. sess 7, de Bapt. can. 4. c. mulier. 19. c. in necessitate 20. c. Romanus 22. aliisque de consecrat. dist. 4.*

11. Ut autem Baptismus non solum valide, sed etiam licite administretur, secluso casu necessitatis, conferri solum debet ab eo qui jurisdictionem habeat tamquam Pastor Ecclesiasticus in eo loco ubi habitat baptizandus; adeoq; tale munus competit tum Episcopum etiam Parochis ex officio suo respectu suorum Parochianorum: reliquis autem Sacerdotibus ex defectu Jurisdictionis non competit extra casum necessitatis, aut nisi illis committatur ex Episcopi, vel Paro-

Parochi delegatione. Videri potest. Valsq. 10.2.  
in 3.p. disp. 147. c. 3.

12. Item ut Baptismus licite administretur, conferri debet non in privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, ubi sunt fontes ad hoc specialiter deputati, ut constat ex Clem. un. de Baptismo, ubi duo tantum casus excipiuntur, videlicet: Nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo, propter hoc accessus haberi.

13. Solemnitates, & ritus in Baptismo servandi quinam sint, videri potest in rituali. Inter reliqua illud est, ut praeter personam baptizantem & personam baptizati, interveniat etiam aliquis, qui baptizatum lever de Sacro fonte, & in sui tutelam & fidem suscipiat, erudiendum postea in doctrina, & bonis moribus, quod servatur ex veteri Ecclesiæ consuetudine, & indicatur in c. Non plures 100. c. Vos ante 104. de consecr. dist. 4. & in toto tit. de cognation. spirit. Qui tali munere fungatur, vocari solet Compater sive Patrinus, ut vocatus etiam fuit ab Higino Papa in c. in Catechismo 99. ead. dist.

14. Munus patrini suscipi potest a quolibet baptizato rationis compote, sive sit vir, sive mulier: a qua tamen generali regula excipitur Abbas vel Monachus, ex c. Non licet 102. &c.

Monachus

Monachi 103. de consecr. dist. 4. eo quod ipsum non deceat familiaritatem contrahere cum parentibus baptizati, imo & cognationem spirituali, de qua mox dicetur. Item ex alia ratione excipiuntur haeretici, & ii qui sunt moribus infames, quia scilicet non sunt idonei ad rite instruendum baptizatum, ad quod ordinatur munus Patrini. Videri potest Castrop. p. 4. tract.

19. pun. 11. §. 1.

15. Antiquitus nonnisi unus patrinus in baptismo adhiberi potuit sive vir, sive mulier, ut constat ex c. Non plures 100. &c. In Catechismo 99. de consecr. dist. 4. Postea successu temporis introductum fuit ut plures adhiberentur, ut colligitur ex c. fin. de cognat. spirituali in 6. At Conc. Trit. sess. 24. de refor. matrim. c. 2. statuit juxta pristina instituta ut unus tantum, sive vir, sive mulier, vel ad summum unus & una baptizatum de Baptismo suscipiant. Non possunt igitur plures vir, vel plures fæminæ in patrinos suscipi; sed tantummodo designandus est & admittendus unus tantummodo designandus est & admittendus unus tantum vir aut una fæmina, vel ad summum duo, vir & fæmina.

16. Illud quoque Juris in patrino servatur, ut inter ipsum & inter baptizatum, & illius fratrem, & matrem spiritualis cognatio contrahatur, quæ est impedimentum dirimens matrimonii contrahendi ut constat ex toto titulo de cognat.

/P

cognat. spirit. & ex cit. c. 2. Trident. Ubi etiam additur similem cognationem contrahi inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem; & quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem nullo pacto contrahant: De hoc impedimento resulante ex cognatione spirituali sermo etiam recurret infra, ubi de Sacramento Matrimonii.

## T I T. I V.

## De Sacramento Confirmationis.

1. Quemadmodum homo postquam carnaliter natus est, augmentatione opus habet, & virium corroboratione; ita quicunque spiritualiter regeneratur per Baptismum, corroborari debet per gratiam Spiritus Sancti, per quam armatus, & instructus confirmetur ad pugnam: & ad hoc fuit a Christo Domino institutum Sacramentum Confirmationis, ex c. Spiritus Sanctus 2. de Consecr. dist. 5. & Trid. sess. 7. de Confirmatione can. 1. & 2.

2. Usus hujus Sacramenti fuit a primis usque Ecclesiæ temporibus ex institutione Christi, quidquid in contrarium dixerint recentiores haeretici, contra quos late disputat Bellar. to. 2. Controv. lib. 2. Videri etiam potest Suar. Doctor Eximius tom. 3. in 3. p. disp. 32. sc. Et. 1.

3. Ma-



3. Materia tremota hujus Sacramenti est Chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientię, & balsamo, quod odorem significat bonę famę, per Episcopum benedicto, ex Florent. *in instruct. ad Armenos, &c. un. de Sacra Unctione*, Materia proxima est unctionis Chrismatis per Episcopum benedicti, ea ratione, qua in præced. tit. n. 7. dictum est, materiam proximam Baptismi esse ablutionem. Debet autem ea unctionis per manum Episcopi fieri in fronte confirmandi, ubi verecundia fides est, in figuram Crucis sub hac verborum forma: *Signo te signo Crucis, & Confirmo te Christi, ne videlicet Confirmatus Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue Crucem ejus, quæ Judæis est scandalum, gentibus autem stultitia, ex Flor. in loco cit.*

4. Ordinarius Minister Confirmationis est Episcopus, *c. de his 3. de consecr. dist. 5. c. Presbiteri 119. de consecr. dist. 4. c. quanto 4. de consuet. Trid. sess. 7. de Confirm. can. 3. & Flor. in cit. decreto fidei ad Armenos.* Ex speciali tamen & extraordinaria delegatione Summi Pontificis posse simplicem Sacerdotem ex rationabili, & urgente admodum causa ministrare Sacramentum Confirmationis Christi per Episcopum confecto, docent passim Authores, sumiturque ex *c. Pervenit 1. dist. 95, ipsumque Concilium*

lium

lium Florent. in loco citato asserit, legi id aliquando factum esse per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & urgente admidum causa.

5. Sed & opus est, ut sit Episcopus proprius confirmandi: cum enim licita ministratio hujus Sacramenti exigat jurisdictionem in personam cui Sacramentum ministrandum est; nemo potest, quantumvis Episcopus, alienum subditum confirmare, sine debita facultate, ut ex omnium sententia tradit Sylvester v. Confirmatio divina q. 5. Suarez. to. 3. in 3. p. disp. 38. sect. 2. in fine, & Castrop. tract. 20. punto 9. num. 7. Item ex Trid. sess. 6. de refor. cap. 5. debet Confirmatio ab Episcopo in propria diœcesi ministrari: alias si in aliena diœcesi irrequisito proprio Episcopo hoc Sacramentum etiam sibi subditis ministraret, esset ipso jure suspensus ab exercitio Pontificalium. Illud quoque diligenter servandum ab eo est, ut non nisi Chrismate eo anno consecrato utatur in administratione Sacramenti: si enim veteri (nisi præoccupante morte) uteretur, peccaret mortaliter, ut sumitur ex Epist. 2. Fabiani Papæ c. Quoniam 19 de sent. excom. in 6. juncta ibid. Glos. ver. dubium non existit. Et cap. Si quis de alio 121. de consecr. dist. 4. ubi est fermo de unctione Chrismati, quæ sit in Baptismo, est autem major ratio de unctione.

unctione Confirmationis, ut recte notat Suar.  
in loco supra citato.

6. Omnibus baptizatis ministrari debet hoc Sacramentum, ut pleni Christiani inveniantur, ex c. 1. de Consecr. dist. 5. & nonnisi semel, cum sit de genere eorum Sacramentorum, quæ characterem imprimum, adeoque reiterari non possunt, ut supra dictum est in hac secunda parte Institutionum tit. 2. num. 8. Non tamen debet ministrari pueris antequam usum rationis habeant: non enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta est, sicut Baptismus; sed ut ejus virtute optime instructi, & parari inveniremur, cum nobis pro Christi fide pugnandum esset: ad quod sane pugnæ genus pueros qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos judicarit, ex Catec. Rom. B. Pii V. 2. p. c. 3. n. 14.

7. Inde fit, ex eod. Catech. ibid. n. 15. ut qui adulta jam ætate confirmandi sunt, si hujus Sacramenti gratiam, & dona consequi cupiant, eos non solum fidem, & pietatem afferre, sed graviora etiam peccata, quæ admiserunt, ex animo dolere oporteat. Quia in re etiam elaborandum est, ut peccata etiam prius confiteantur, & Pastorum cohortatione ad jejunia, & alia pietatis opera suscipienda incitentur, admonenturque laudabilem illam antiquæ Ecclesiæ consuetudinem renovandam esse, ut nonnisi jejuni, hoc Sacramentum susciperent.

8. Et-

8. Effectus Confirmationis multiplex est. Primo enim est augmentum gratiæ per Baptismum receptæ, ut Christianus audacter Christi confiteatur nomen, ut dicitur in cit. decreto Conc. Florentini. Dixi *augmentum gratiæ*: quia Confirmatio numeratur inter ea Sacra menta, quæ dicuntur Sacra menta vivorum, eo quod per se postulet suscipientem esse in gratia constitutum. Alius quoque ejusdem effectus est speciale auxilium suo tempore concedendum ad fidem absque ullo timore, cum opus fuerit, confitendam, ut docet communis Theologorum sententia teste Suar. to. 3. in 3. p. disp. 34. sect. 2. Alius denique effectus est character indelebili ter Animæ inhærens, unde reiterari non potest, ut paulo ante indicatum est, sumiturque ex c. de homine 9. de consecr. dist. 5. & ex Trid. sess. 7. de Sacramentis in genere can. 9.

9. Præter reliquas solemnitates in Confirmatione adhibendas, quæ videri possunt in Pontificali, etiam illa servatur, quam servari diximus in Baptismo; ut videlicet interveniat Patri nus, qui teneat confirmandum. de quo ritu sermo est in c. *Si quis filiastrum* 2. & c. *De his* 6. 30. q. 1. ejusque ratio recte traditur à Catechis. Rom. in loco supra citato n. 14. quia videlicet sicut qui progreditur ad certamen, indiget aliquo, cuius arte atque consilio doceatur Adversarium vincere; ita qui Sacramento Confirmationis quasi firmis

firmissimis armis tectus, ac munitus, descendit in spirituale certamen, cui æterna salus proposita est, indiget duce, ac Monitore; quale munus suscipitur à Patrino.

10. Sicut autem, ex supradictis, in Baptismo contrahitur spiritualis cognatio inter Patrinum, & baptizatum, ejusque Patrem & Matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum ejusque Patrem, & matrem; ita & in Confirmatione cognatio similis contrahitur, quæ pariter non egreditur Confirmantem, & Confirmatum, illiusque Patrem & Matrem, ac Tenantem, ut decrevit Trid. sess. 24. de refor. matrim. c. 2. de qua cognitione sermo etiam erit infra ubi de Sacramento Matrimonii.

T I T. V.

*De Venerabili Eucharistia & Sacramento.*

1. EXcellētissimum, inter omnia reliqua, Sacramentum est Eucharistia in qua præter id quod est cæteris Sacramentis communem nempe symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem, illud excellens, & singulare reperitur, quod reliqua Sacraenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis Author ante usum est, ex Trid. sess. 13. cap. 3.

2. Hos

2. Hoc Sacramentum fuit institutum à Christo Domino in ultima Cœna illius noctis, in qua traditus fuit in mortem pro omnium hominum redemptione, in eoque divitias Divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum; & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat, ex cit. *sess. 13. cap. 2.* Ejus autem essentia in eo est, quod sub speciebus Panis, & vini vere, & proprie continetur Corpus, & Sanguis Christi Domini, cum ejus Anima, & Divinitate: panis enim vinique substantia nullatenus remanet post verba conversio panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Domini, convenienti & proprio vocabulo Transubstantiatio est appellata, ex ead. *sess. 13. c. 4. can. 1. & 2.*

3. Materia igitur remota hujus Sacramenti est panis triticeus, & vinum de vite, ut manifeste colligitur tum ex Evangelistarum historia, tum ex *Con. Flor. in descr. fidei ad Arm.* & ex *Trid. in cit. sess. 13. c. 1.* Debet autem esse panis usalis, qualis venit nomine panis simpliciter, si-  
ve sic azimus, sive fermentatus: quantis de ne-  
cessitate præcepti servari debeat mos Ecclesiæ, adeoque in Ecclesia latina omnes Sacerdotes te-  
neantur in azimo consecrare, in Ecclesia autem  
Græca in frementato, ut expresse tradidit *Conc.*

*Flor.*

Florent. §. Item in aximo. Vinum pariter debet esse usuale de vite, seu ex uvis expressum, unde alii liquiores, & acetum ipsum quamvis ex vi-  
no fiat, nullatenus sunt apta materia consecra-  
tionis. Debet autem de necessitate præcepti ad-  
misceri vino modicum aquæ, ut ex perpetua  
Ecclesiæ traditione docuit Flor. in cit. descr. fidei  
ad Armenos, & Trid. sess. 22. c. 7. tum quod  
Christum Dominum ita fecisse credatur, tum  
etiam, quia è latere ejus aqua simul cum Sangu-  
ine exierit: quod Sacramentum hac mixtione  
recolitur. Et cum aquæ in Apocalypsi Beati Jo-  
annis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum  
capite Christo unio repræsentatur, ut ibid. lo-  
quitur Trid.

4. Forma hujus Sacramenti duplex est. Una  
per quam consecrantur species panis, nempe  
*Hoc est enim Corpus meum*, altera per quam con-  
secrantur species vini, scilicet *Hic est enim Calix*  
*Sanguinis mei novi, & æterni testamenti, &c.* Ea  
enim sunt Verba Salvatoris, quibus Sacerdos  
in Persona Christi loquens hoc conficit Sacra-  
mentum, ex Florent. cit. eorumque virtute ver-  
borum, substantia panis in Corpus Christi &  
substantia vini in Sanguinem convertuntur, ita  
tamen quod totus Christus continetur sub spe-  
cie panis, & totus sub specie vini, sub qualibet  
quoque parte Hostiæ consecratæ, & vini conse-  
crati, separatione facta, totus est Christus, ut

ibid. loquitur Florent. vi scilicet naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit non amplius moriturus, inter se copulantur, ex *Trid. sess. 39. c. 3.*

5. Minister hujus Sacramenti est omnis & solus Sacerdos, cui ea potestas in Sacra Ordinatione Presbiteratus tribuitur, indicaturque etiam à *Trid. sess. 22. c. 1.* qui utcumque malus sit valide consecrat, quamvis illicite, dummodo debitam materiam, & formam adhibeat cum intentione, vel formali, vel saltem virtuali consecrandi, ut supra dictum est ubi de Sacramentis in genere, ex *Trid. sess. 7. can. 11. & 12.* ut autem etiam licite consecret, debet esse in gratia constitutus. Quod si alicuius peccati mortalis sibi conscientius sit, quantumvis sibi contritus videatur, præmittere debet Sacramentalem Confessionem, etiamsi illi ex officio incumbat celebrare, modo illi non desit copia Confessoris. Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimum confiteatur, ut præcipitur à *Trid. sess. 13. c. 7.*

6. Subjectum capax recipiendi Eucharistiam est omnis homo baptizatus, qui sufficienter usum rationis habeat, quo discernere possit cibum istum cœlestem à cibo vulgari, & ad illius susceptionem actuali se devotione disponere, ut ha-

habetur ex Catech. Rom. c. 4. num. 62. dummodo tamen ~~tum~~ ex parte animæ, ~~tum~~ etiam ex parte corporis debitas dispositiones habeat, quæ vel de jure Divino, vel de jure Ecclesiastico requiruntur.

7. Inter reliquas autem dispositiones ex parte animæ requisitas ea est quæ indicatur à Paulo 1. Corint. 11. in illis verbis: *Probet autem seipsum homo: & sic, de Pane illo edat, & de Calice bibat, quam probationem ad communicandum necessariam Ecclesiastica consuetudo declarat, esse eam, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat, ut definit Trid. in cit. sess. 13. c. 7. Concordat textus in c. Qui scelerate 24. aliisque juribus de consecr. dist. 2.*

8. Dispositio necessaria ex parte corporis est jejunium perfectum, & naturale, ita ut excludat cuiuslibet vel minimi cibi, & potus vitalem sumptionem ante perceptionem Eucharistiae à media nocte prævia illius diei, in quo sumenda est. Colligitur hoc ex c. *Ex parte 5. de celebrat. Missar. cap. Sacraenta Altaris 47. de consecr. dist. 1.* & ex aliis juribus. Consuetudinem hanc ab Apostolis emanasse, abunde testantur antiquissimi Ecclesiæ Patres, Epiphanius lib. 3. *contra hæreses in fine, Nazianz. orat. 40. quæ est de Bap-*

tismo sub finem, Chrisost. hom. 27. in 1. ad Corint. aliquique citati à Suar. to. 3. in. 3. p. disp. 66 sect. 3. Quamvis enim Christus Dominus hoc Sacramentum instituerit, postquam Pascha cum Discipulis manducasset; id tamen fecit, non ut Discipuli eundem ritum in Ecclesiam introducerent percipiendi Eucharistiam post cœnam; sed quia cum vetus Pascha esset figura Eucharistiae conveniens fuit, ut veritatem figura præcederet. Antiquitus fuit etiam præceptum, ut sumpta mane Eucharistia, continuaretur jejunium usque ad sextam, & sumpta hora tertia vel quarta, servaretur, jejunium usque ad vesperas, ut constat ex c. *Tribus gradibus* 13. de consecr. dist. 2. Sed hoc fuisse consuetudine abrogatum tradit *Castrop. tract.* 21. *puncto* 13. n. 10. cum pluribus aliis quos citat ibidem: quamvis maxime deceat cibum non sumere, quamdiu species Sacramentales acceptæ creduntur non esse consumptæ.

9. Ab hac tamen generali lege præmittendi jejunium sumptioni Eucharistiae, excipitur qui sit in mortis periculo constitutus: potest enim eidem etiam non jejunio præberi Eucharistia tanquam Viaticum ut ostendit praxis Ecclesiae. Item excipitur casus, in quo nisi sumeretur Eucharistia à non jejunio, gravis fieret injuria eidem Sacramento, ut puta adveniret in manus Infidelium, aut igne consumeretur &c. Denique casus

casus excipitur, in quo perfici debet Sacrificium inchoatum, idemque perfici non possit nisi à non jejunio, Videri potest Suar. to. 3. in 3. p. disp. 66. sect. 6.

10. Obligatio sumendi Eucharistiam diversis Ecclesiæ temporibus diversa fuit. Tempore nascentis Ecclesiæ, quia charitas fidelium ferventior erat, & gravior necessitas propter infidelium persecutiones, omnes singulis diebus communicabant, ut colligitur à Doctorib. ex c. Episcopus 56. de consecr. dist. 1. & c. Peracta 10. de consecr. dist. 2. ubi præcipitur ut peracta consecratione omnes communicent; unde sicut usus audiendi Missam erat quotidianus, ita & usus communicandi. Postea frigescente charitate præceptum fuit ut saltem ter in anno Eucharistia sumeretur, nempe in Paschate, & Pentecoste, & Natali Domini, ut constat ex c. Et si non frequentius 16. & c. Sacramentis 19. de consecr. dist. 2. Tantum Innoc. III. in c. Omnis utriusque sexus 12. de paenit. & remis. propter varias causas decrevit ut saltem semel in anno, nempe in Pascha sumatur Eucharistia, quod præceptum aliis abrogatis usque ad hæc tempora viget.

11. Datur præterea obligatio sumendi Eucharistiam in periculo mortis, quam obligacionem Authores nonnulli docent esse de Jure Divino. Hanc obligationem supponere videtur Conc. Nicænum relatum in c. de his vero 9. 26. q.

## T I T. VI.

## De pœnitentiis, &amp; remissionibus.

1. **S**equitur Pœnitentiæ Sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, à reliquis Sacramentis distinctum, & à Christo Domino tunc præcipue institutum, cum à mortuis excitatus, insufflavit in Discipulos suos, dicens: *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis retentae sunt.* Quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, universorum Patrum consensus semper intellexit, ex *Trid. sess. 14. cap. 1.*

2. Forma hujus Sacramenti, in qua præcipue ipsius vis sita est, sunt ea Ministri verba: *Ego te absolvo &c.* quibus de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædā laudabiliter adjunguntur, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neq; ad ipsius Sacramenti administrationē sunt necessariæ, ut expresse docet *Trid. in cit. sess. 14. c. 3.* Nequit igitur **absolutio** dari per nutus, aliave signa

signa à prædictis verbis distincta: imo verba illa debent articulata voce proferri, unde absens non potest absolvī, neque per epistolam ex constit. Clementis VIII. edita die 20. Julii 1602. quæ est 87. ejusdem Pontificis in Bullario.

3. Actus pœnitentis, nempe Contritio, Confessio, & satisfactio, sunt quasi materia ejusdem Sacramenti, ex Trid. cit. sess. 14. cap. 3. quæ omnia, nempe absolutio, & contritio, & confessio, & satisfactio versantur circa peccata actualia post Baptismum commissa; & propterea eadem peccata vocari solent materia remota, circa quam abolendam actus illi versantur, ut colligitur ex ead. sess. c. 2.

4. Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Trid. ibid. cap. 4. Alia est perfecta, alia imperfecta. Contritio perfecta est, quæ charitate formatur, seu concipiatur ex motivo charitatis, hoc est propter Deum, summamque ejus bonitatem super omnia dilectam. Imperfecta contritio, quæ etiam attritio vocari solet, dicitur, quando concipiatur ex inferiori motivo, puta ex gehennæ & pœnarum metu, aut ex turpitudinis peccati consideratione.

5. Contritio charitate perfecta hominem Deo reconciliat, etiam priusquam Sacramen-

tum Pœnitentiæ aëtu suscipiatur, ex cit. cap. 4. *Trid.* quamvis adhuc obligationem relinquat confitendi sacramentaliter peccata mortalia commissa, quia ex eodem Tridentino ipsi reconciliatio ipsi Contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non est adscribenda. Contritio imperfecta seu attritio, si sit supernaturalis, & voluntatem peccandi excludat, cum spe venia, quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem queat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit, ut ibid. expresse *Trid.* Perfecta igitur contritio, quamvis sit perfectior, & utilior materia Sacramenti Pœnitentiæ, non tamen est materia necessaria, quia etiam contritio imperfecta sufficit cum Sacramento, si prædictas conditiones includat, nempe si sit supernaturalis, & voluntatem peccandi excludat, cum spe venia. Videri potest Suar. Doctor eximius *to. 4. in 3. p. disp. 20. per totam.*

6. Confessio, quæ est alter pœnitentis actus, respicit peccata post Baptismum commissa, ut supra diximus ex *Trid. fess. 14. cap. 2.* quæ si mortalia sint, dicuntur materia necessaria, quia necessarium est illa huic Sacramento subjicere. Si autem venialia sint, vocantur materia sufficiens, quia quamvis possint utiliter in Confessione aperiri; quod piorum hominum usus demon-

monstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt, ut ibidem docet *Trid. cap. 5.* quemadmodum etiam vocari possunt materia sufficiens peccata mortalia alias rite confessa, quæ quamvis de necessitate non sit, utile tamen est iterum confiteri, ut declaravit *Benedictus 11. Extrav. 1. de privilegiis §. cæterum licet, inter comm.*

7. Cum autem Sacramentum Pœnitentia*æ* institutum sit per modum cuiusdam Judicii, in quo Sacerdos tamquam Christi Minister exercet munus Judicis, pœnitens autem Rei; inde fit debere aperta, & verecunda Confessione omnia, & singula peccata mortalia, prout sunt in conscientia, aperiri, explicato eorumdem numero, & circumstantiis mutantibus speciem: Sacerdotes enim hoc judicium incognita causa exercere non possunt, nec ab ipsis æquitas servaretur in pœnis injungendis, si pœnitens in genere dumtaxat, & non potius in specie ac singillatim sua peccata declararet, ut expresse docet *Trid. in cit. sess. 14. c. 5.*

8. Potest tamen multipliciter casus contingere, in quo pœnitens inculpabiliter omittat alicujus peccati mortalis Confessionem, & hoc non obstante effectum Sacramenti consequatur. Primus casus est, si pœnitens habeat physicam impotentiam manifestandi aliquod peccatum, puta si post fatis diligens conscientia exa-

men, alicuius peccati commissi non recordetur: in quo casu satisfacit, si reliqua peccata aperiat, quorum memoriam habet: quia in illorum confessione intelligitur inclusum etiam peccatum oblitum, dummodo ad illud saltem in confuso, seu in genere se extendat animi dolor, & detestatio, *juxta Trid. ead. sess. cap. 5.* Quamvis si postea idem peccatum memorie superveniat, detur obligatio ejusdem aperiendi in Sacramentali Confessione, propter præceptum Divinum, quo tenentur fideles omnia peccata mortalia in Confessione declarare, ut colligitur ex *cod. cap. 5. Trid.*

9. Alter casus etiam est ex physica impotencia in moribundo ita sensibus destituto, ut nullum peccatum in particulari explicare possit. Hic enim si signa doloris ediderit, & Sacramentum Pœnitentiae vel voce vel signis petierit, absolvendus est, ut constat *ex c. Multiplex. 49. de pœnit. dist. 1.* Per illa enim signa doloris, & per expressam, aut tacitam absolutionis petitionem, moribundus ille satis subjicit clavibus, quantum potest, peccata sua, & ex extrema necessitate excusatur a specifica, & numerica eorumdem confessione, quia *nemo potest ad impossibile obligari c. 6. de reg. jur. in 6.*

10. In his, aliisque similibus casibus, qui videri possunt apud Theologos, & Canonistas, ubi agunt de integritate Confessionis, dicitur fieri

fieri Confessio formaliter integra. Authores enim duplē in Confessione integratē distingunt, quarum unam vocant materialem, aliam formalem. Confessio materialiter integræst, quando omnia, & singula peccata commissa cum eorum numero, & specie in Confessione declarantur. Confessio formaliter integra dicitur, quando peccata manifestantur, ut manifestari possunt, & ut Divinum præceptum hic, & nunc obligat ad illa manifestanda.

ii. Utrum autem in Confessione aperiri etiam necessario debeant circumstantiæ notabiliter aggravantes, aut notabiliter minuentes, intra eandem speciem? Item utrum necessario manifestanda sit peccati circumstantia, ex qua Confessarius habiturus est notitiam complicis? est celeb̄tis Theologorum quæstio, cuius resolutio apud ipsos videri potest.

12. Tertius denique actus pœnitentis à Trid. numeratus in cit. *sess. 14. c. 3.* est satisfactio sacramentalis, seu executio operis injuncti à Confessario in satisfactionem peccatorum. Hic actus quatenus à Confessario imponitur, cum sit pars complens seu integrans Sacramentum Pœnitentiæ, juxta Trid. ibid. ex Christi Domini institutione efficaciorem vim obtinet in ordine ad suum effectum, qui est remissio pœnæ pro peccatis debitæ, & præservatio à peccatis

in futurum. Rursus ex eo quod sit pars ad integratem Sacramenti requisita, infertur obligatio, quam regulariter habet Confessarius ad illam imponendam, & obligatio pœnitentis ad illius executionem: uterque enim pro sua parte tenetur ad ponendum quidquid pertinet ad integratem Sacramenti; nisi tamen illam ponni sit impossibile, ut contingere aliquando potest, quando pœnitens moribundus ita est in extremis, ut nec minimam satisfactionem exequi possit.

13. Minister hujus Sacramenti est solius Sacerdos ex institutione Domini, quia ad solos Sacerdotes dictum fuit: *Quorum remisitis peccata, &c.* ut definit *Trid. in cit. sess. 14. c. 6. & can. 10. & Florent. in decreto fidei ad Armenos.* Imo nec omnis Sacerdos ministrare hoc Sacramentum potest: quamvis enim Presbiteri in sua Ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant; attamen cum ad ejus potestatis usum opus sit jurisdictione; nullus, etiam Regularis, potest Confessiones sacerdotalium etiam Sacerdotum audire, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen si illis videbitur esse necessarium, aut alias idneus judicetur, & approbationem (quæ gratis dari debet) obtineat. Ita *Trid. sess. 23. c. 15.*

14. Hinc Authores passim duplicis generis Ministrum assignant pro Confessionibus audiendis.

dis. Alius enim est. Minister Ordinarius, seu habens jurisdictionem ordinariam; alias Minister delegatus, seu habens jurisdictionem delegatam. Jurisdictio ordinaria dicitur illa, quæ alicui competit ex officio, cui de jure annexa est jurisdictio. Talis est Episcopus, & Parochus, cui ex cura animarum, quam habet, competit jurisdictio in oves suas ad Sacramenta illis ministranda. Jurisdictio delegata dicitur, quam aliquis habet ex delegatione, seu ex demandatione facta ab Ordinario. Hujus generis sunt Religiosi, aliique Sacerdotes non Parochi, qui approbationem, & licentiam habent ab Ordinario excipiendi aliorum Confessiones.

15. Rursus neque omnes Sacerdotes habentes facultatem audiendi Confessiones, habent eo ipso universalissimam facultatem absolvendi ab omnibus quibuscumque peccatis. Datur enim in Ecclesia potestas reservandi peccata, quorum absolutio obtineri non possit ab inferiori Confessario, sed reservata sit superiori reservanti, juxta *Trid. sess. 14. c. 7.* Sic de facto plurium peccatorum absolutio reservata est Summo Pontifici, ut constat ex Bulla *Cœnæ*: & ipsi Episcopi pro suis dioecesibus reservare sibi possunt, & solent aliquorum peccatorum absoluti, quam dare non possunt inferiori

feriores Confessarii, nisi obtenta ipsius Episcopi reservantis facultate.

16. Excipi tamen debet casus articuli mortis, in quo quilibet Sacerdos absolvere potest quilibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris, si nullus sit præsens Sacerdos privilegiatus quia ex cit. *sef. 14. cap. 7.* pro tali casu extrema necessitatis in articulo mortis, nulla est peccatorum reservatio.

17. Post factam peccatorum Confessionem, oritur in Confessario gravis obligatio non manifestandi ea, quæ in Confessione cognovit, quæ obligatio vocatur ligillum, & adeò stricti juris est, ut in nullo casu, quantumvis gravissimo, sive boni consequendi, sive mali vitandi, sine expressa voluntate pœnitentis cessare possit, ex c. *Omnis utriusque sexus 12. de pœnit. & remiss. cap. Sacerdos 2. de pœnit. dist. 6.* Quod procedit, etiam si facta Confessione Pœnitentem Confessarius non absolverit, propter aliquam ejus indispositionem, ut ex omnium sententia tradit Doctor Eximus *tom. 4. in 3. p. disp. 33. sect. 2. num. 9.* Imo procedit etiam si Confessio facta fuerit alicui, qui bona fide judicetur Sacerdos, ex intentione recipiendi absolutionem, ut pariter ex omnium sententia tradit idem Suar. *ibid. num. 3.* Extenditur quoque similis obligatio ad quemcumque, qui ex confessione Sacramentali pœnitentis peccata cog-

cognoverit ; unde si Confessio facta fuerit per interpretem , aut aliquis alias , præter Confessarium , illam audiverit , tenetur idem simili- ter ad sigillum , ut etiam docet communis sententia apud cit. Suar. in ead. disp. 33. scđt. 4.

18. Quod si Confessarius aliquis injustè si- gillum fregerit , deponendus est ab Officio Sa- cerdotali , & in arctum Monasterium detru- dendus ad agendum perpetuam pœnitentiam , ex cit. cap. Omnis utriusque sexus , & cit. c. Sa- cerdos.

19. Demum quod attinet ad obligationem Sacramentaliter confitendi , constat primò , te- neri unumquemque fidelem peccato mortali gravatum sacramentaliter confiteri , quando imminet mortis periculum , & quando est pe- riculum probabile numquam inveniendi Sa- cerdotem , cui confiteri possit : quia alioquin manifeso periculo se exponeret omittendi Sa- cramentum , quod à Domino est institutum at- que præceptum in remedium necessarium pe- cati post Baptismum commissi , ut tradunt om- nes Doctores teste Suar. disp. 35. scđt. 3.

20. Constat secundò , omnes fideles , cum ad annos discretionis pervenerint , si peccato mortali graventur , teneri ad Sacramenta- lem Confessionem saltem semel in an- no , ex cit. cap. Omnis utriusque 12. de pœnit. &

remiss. & ex. Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 8.

21. Ut autem huic gravi præcepto satisfiat, non sufficit Confessio illegitimè facta: quia inter propositiones ab Alex. VH. damnatas die 24. Septembris 1665, una est numero decima quarta, quæ afferet, satisfacere præcepto Ecclesiæ illum, qui facit Confessionem voluntariè nullam. Imo cum per idem præceptum principaliter præcipiatur peccati mortalis confessio, si quis faciat Confessionem de solis venialibus, quia illis dumtaxat gravatus est, sed postea eodem anno in aliquod peccatum mortale incidat, tenetur intra eundem annum illud peccatum mortale confiteri, ut tamquam certum tradit Castrop. tract. 23. punto 20. §. 3. m. post plures quos ibidem citat..

T. I. T. VII.

*De Extremæ Unctione.*

11. Hæcenus de iis Sacramentis, quibus ex institutione Christi habetur ingressus, & progressus in Vita Christiana: consequens est ut de eo Sacramento agatur, quo muniti atque defensi egredimur ab hac vita, unde congruo vocabulo appellatur Extrema Unctio, quia omnium unctionum & Sacramentorum, quæ fidibus conferuntur, solet esse ultimum, & quia



& quia confertur constitutis in extremo vitæ.

2. Instituta est autem Sacra hæc Unctio infirmorum, tamquam verè, & propriè Sacramentum novi Testamenti, à Christo Domino nostro, ut definit Trid. *sess. 14. de Sacr. Extrema Unctionis cap. 1. & can. 1.* addens insuper fuisse idem Sacramentum insinuatum apud Marcum; commendatum autem, & promulgatum per Jacobum Apostolum, qui cap. 5. in Epistola Catholica sic habet: *Infirmitur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiae, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus; & si in peccatis fit, dimittentur ei.* Hæc enim tam absoluta promissio non nisi in institutione Domini fundari potest, quia solius Domini est, signo sensibili annectere infallibiliter gratiam & remissionem peccatorum. Videri potest Bellar. *tom. 2. controversiar. in 4. controv. generali lib. 1.*

3. Ex iisdem Jacobi verbis, & ex Apostolica traditione per manus accepta infertur quænam sit materia, forma, Minister, & effectus hujus Sacramenti, ut docet Trid. in *cit. cap. 1.* Materia remota est oleum olivarum, ex Trid. *cit. & Flor. in decreto Unionis,* quia tale oleum est, quod dicitur simpliciter oleum. Debet autem esse ab Episcopo benedictum, ex doctrina utriusque Concilii in locis citatis, benedictione diversa.

versa ab ea. , per quam benedicitur Chrisma; quod adhibetur pro Sacramento Confirmationis, pro Consecratione Episcopi, Ecclesiae, Altaris, Calicis, fontis baptismalis &c. cum præsertim Chrisma componatur etiam ex balsamo , ut supradiximus in hac secunda parte Institutionum tit. 4. num. 3. oleum autem pro Extrema Unctione nullo alio liquore misceatur. Item debet esse benedictum eo ipso anno in quinta feria , quæ est in Cœna Domini, quo tempore singulis annis eam benedictionem peragi ex traditione Apostolica & statutis Decretalium , testatur Synodus Aquisgran. sub Ludovico Pio Imperatore in cap. 8. cuius initium est *Statutum etiam est* : quemadmodum idem etiam fit de Chrismate , juxta textum in c. Litteris 8. de consecr. dist. 3.

4. Materia proxima ejusdem Sacramenti est Unctio ex oleo facta , quæ aptissimè Spiritus Sancti gratiam , qua invisibiliter anima ægrotantis inungitur , repræsentat, ut loquitur Trid. in cit. sess. 14. de Sacramento Extremae Unctionis cap. 1. Debet autem fieri cum forma Crucis, ut praxis ostendit , atque etiam colligitur ex cap. Numquid 10. de consecr. dist. 5. juncta ibid. Gloss. Item fieri debet in certis partibus corporis , quæ à Florent. in dec. Unionis numerantur septem , videlicet oculi propter vi- sum , aures propter auditum , nares propter

ter odoratum , os propter gustum vel locutio-  
nem , manus propter tactum , pedes propter  
gressum , renes propter delectationem ibidem  
vigentem : quidquid sit utrum omnes , & sin-  
gulæ istarum omnium partium unctiones sunt  
essentiales , aut saltem de necessitate præcepti  
requisitæ de qua re videri potest Suar. tom. 4. in  
in 3. disp. 39. sect. 2. art. 4.

5. Forma sunt illa verba : *Per istam Sanctam  
Unctionem , & suam piissimam misericordiam  
indulgeat tibi Dominus quidquid &c.* In qua  
forma illud est speciale, quod fiat per verba de-  
precativa , cum in reliquis Sacramentis fiat per  
indicativa, ut puta Sacramentum Pœnitentiæ  
fit per verbum *Absolv te &c.* at Sacramen-  
tum Extremæ Unctionis per verbum *Indul-  
geat tibi Dominus , quod est deprecativum.*  
Ratio hujus est ipsa Christi voluntas ita hoc Sa-  
cramentum instituentis , quam Ecclesia coi-  
git ex illo Jacobi Orient super eum. Nec et-  
iam deest ratio congruentia , quam rectè no-  
nat Suar. in loco supracitato : quia scilicet hoc  
Sacramentum ordinatur ad obtainendum per  
modum indulgentiæ id , quod in iudicio  
Pœnitentiæ obtineri non potuit per modum  
justitiæ , propter imperfectam hominis satis-  
factionem , vel dispositionem. Unde quia ho-  
mo infirmus jam est quasi viribus destitutus ad  
satisfaciendum; ideo exoratur Deus, ut remittat

f

Si quid post Sacmentum Pœnitentiæ residuum est.

6. Minister hujus Sacmenti est solus sacerdos, juxta Trid. in cit. sess. 14. cap. 3. & can. 4. de Sacram. extr. *Unctionis*, quod etiam colliguntur ex illo Jacobi *Inducat presbyteros Ecclesie*. Quinimo ut non solum validè, sed etiam licet idem Sacmentum conferatur, debet ministrari ab habente jurisdictionem non impediatam supra infirmum, puta à Parocho, vel ab habente licentiam à Parocho, ut colligitur ex Clem. 1. de privileg. Quod tamen intelligitur communiter à Doctoribus, teste Castrop. tract. 25. disp. unica punc<sup>o</sup> 7. n. 5. extra casum necessitatis: Si enim Parochus præsens non sit, & infans periculum mortis non permittat obtineri licentiam à Parocho, docent ministrari posse extremam unctionem à quolibet Sacerdote, qui non sit excommunicatus, aut suspensus.

7. Subjectum capax ejusdem Sacmentis suscipiendi est: omnis homo baptizatus, qui sufficienter usum rationis habeat aut habuerit, & sit in gravi infirmitate, unde Medicorum iudicio censeatur esse in vita periculo constitutus. Ministrari enim hoc Sacmentum non potest iis qui Baptismū non acceperunt, cum Baptismus sit reliquorum Sacmentorum janua, vitaq; spirituallis, ex Florent. in decreto Unionis. Item ministrari non potest Infantibus, aut perpetuo a-

men-



mentibus, ut ostendit praxis Ecclesiæ, & clarè deducitur ex fine hujus Sacramenti à Synodo Tridentina declarato in cit. *Seſſ. 14. de Sacram. extrema Unctionis cap. 2.* Institutum enim est ad superandam luctam, & tentationes dæmonis, ad sublevandum hominem inter molestias ægritudinis, & ad delicta, si qua ſint adhuc expianda, peccatique reliquias abſtergendas: quibus omnibus non indiget Infans, aut qui perpetuo amens fuerit. Demum ministrari tantum potest Infirmis, de quorum morte timetur, ut clarè colligitur ex illo Jacobi *Infirmitur quis in vobis?* &c. ex Florent. in Decreto Unionis, & ex Trid. in cit. *Seſſ. cap. 3.* Inde fit, damnatum ad mortem, aut alia ratione morti proximum, si tamen corpore sanus fit, non effe hoc Sacramento muniendum.

8. Effectus hujus Saeramenti est gratia Spiritus Sancti, secum trahens auxilia prævenientia, quibus ægroti animus alleviatur, & roboratur tum ad fiduciam de Divina misericordia concipiendam, tum ad levius ferendos morbi labores, tum ad facilius resistendum temptationibus dæmonis, ut nuper diximus ex Trid. in cit. *cap. 2.* Rursus effectus hujus Sacramenti est remissio peccatorum, si forte infirmus fit illis gravatus, eorumque remissioni non ponat obicem, juxta illud Jacobi *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Alius denique ejusdem effectus est

ipſius

ipsius corporis sanitas, si ea sit saluti animæ expediens, ex Florent. & Trid. in locis supracitatis.

9. Obligatio ad hoc Sacramentum suscipiendum non est tanta, quanta ad suscipiendum Sacramentum Pœnitentiaz & Eucharistiaz: unde tempore interdicti generalis, quamvis concedatur morientibus Pœnitentia sacramentalis, & Eucharistia, non tamen conceditur Sacra Unctio juxta textum in cap. *Quod in te n. de pœnit. & remis.* Si tamen absque causa omittatur, aliquod peccatum est, quod etiam erit gravissimum; si aliquis contemptus intercedat, aut aliquod scandalum ex ejus omissione generetur; si præsertim Infirmus suscipere non possit Sacramentum Pœnitentiaz, & Eucharistiaz, & aliunde sufficientem dispositionem habeat ad Sacramentum Unctionis recipiendum: quia in articulo mortis tenetur quis eo meliori, quo potest modo sibi consulere ad remissionem peccatorum obtainendam. Videri potest *Castrop. tract. 25. disp. unica. punto 8.*

## T I T. VIII.

### *De Sacramento Ordinis.*

1. A Bſolutis iis quæ pertinent ad Sacra menta necessitatis, Sacra menta voluntatis aggre-

gredimur, inter quæ primo numeratur Sacra-  
mentum Ordinis, ut supra diximus in hac 2.  
parte Institutionum tit. 2.

2. Nomine Ordinis latius accepti significa-  
tur certa qualitas, & status hominum ad cer-  
tum aliquod munus seu vivendi genus destina-  
tus, unde factum est, ut per antonomasiæ sta-  
tus Clericorum, qui sunt certo ritu ad Divinum  
cultum, & Altaris ministerium specialiter de-  
putati, Ordo dicatur: & frequentius eo nomi-  
ne significatur illa ipsa potestas, quam Clerici  
recepérunt ad ministrandum Altari; quemad-  
modum sacra illa Cæremonia, per quam sta-  
biliter eam potestatē recipiunt, dicitur Or-  
dinatio ac de Ordine seu Ordinatione hoc mo-  
do accepta sermo erit in præsenti titulo.

3. Prædictam Ordinationem esse Sacramen-  
tum à Christo Domino institutum, est de fi-  
de, ut constat tum ex Florent. in citato decre-  
to Unionis, tum ex Trid. *Seff. 7. can. 1. & seff.*

*23. cap. 3. & can. 3.* Competit enim illi esse si-  
gnum sensibile infallibiliter collativum gratiæ  
obicem non ponenti, juxta illud Apostoli 2. ad  
Tim. 1. *Admoneo te ut resuscites gratiam Dei,*  
*que est in te per impositionem manuum mearum*  
*&c.* Videri potest per Bellar. *tom. 2. controv. de*  
*Sacram. Ordinis c. 2.*

4. Cum autem multiplex sit Altaris ministe-  
rium,

rium, ad quod Clerici per Sacram Ordinationem specialiter consecrantur; plures quoque sunt Ordines, quorum quilibet participat rationem Sacramenti, sed omnes simul per quendam attributionis unitatem veniunt sub uno nomine Sacramenti Ordinis; tum quia in hoc genere omnes convenient; tum præsertim quia omnes respiciunt principaliter eundem finem, nempe Sacram Eucharistiam. Ordines ejusmodi numerantur ex Trid. sess. 23. cap. 2. Ostiarius, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium de quibus, eorumque officiis plura jam diximus in part. institut. tit. 8. 9. & 10.

5. Quilibet istorum Ordinum habet suam propriam materiam, suamque propriam formam. Materia est illud, per cuius traditionem confertur Ordo, ex Flor. in cit. decreto Unionis §. Sextum Sacramentum ut puta in Ordinatione Sacerdotis, per quam traditur illi potestas consecrandi Corpus, & Sanguinem Domini, portigitur illi Calix cum vino, & Patena cum pane, & in alia Ordinationis parte, per quam illi traditur potestas in Corpus Christi mysticum, Episcopus super ipsum manus imponit sub illis verbis *Accipe Spiritum Sanctum. Quorum remiseris peccata &c.* & propterea plures Doctores etiam eam manus impositionem assignant pro materia Ordinationis Sacerdotalis, ut vider

est apud Castrop. tract. 27. disp. unica puncto 4. num. 7. Diaconatus autem confertur per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus per Calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem. Acolytho traditur Ceroferarium cum cereo extincto , & urceolus vacuus aquæ , & vini : Exorcistæ porrigitur liber , in quo exorcismi continentur. Lectori liber lectionum. Ostiario claves Ecclesiæ. Forma autem singulorum istorum Ordinum sunt ea verba , quæ ab Ordinante tradente materiam interea proferruntur.

6. Episcopatus etiam habet rationem Sacra-  
menti , ut ex pluribus firmat Bellar. tom. 2. con-  
trov. de Sacr. Ordinis l. 1. cap. 5. Quamvis enim  
non sit adæquate distinctus à Sacerdotio , atta-  
men illud quodammodo perficit , & extendit  
imprimendo characterem , conferendo gra-  
tiam , & tribuendo potestatem confirmandi , &  
ordinandi , quæ simplici Presbytero non est  
concessa : unde fit , Episcopos esse Presbyteris  
superiores juxta Trid. sess. 23. de Sacr. Ordinis  
can. 7. Materia Episcopatus assignatur impo-  
sitio manuum Episcoporum supra caput Ordinandi : forma autem sunt illa verba , quæ Epi-  
scopi dum manus imponunt , proferunt.

7. Circa primam Tonsuram , quæ prædictis  
Ordinibus præmittitur , controversia est inter  
Authores , utrum numeranda sit inter Ordines ,

K

nec

nec ne <sup>?</sup> afferentibus communiter Theologis eam Ordinem stricto modo non esse, ut supra indicavimus. lib. 1. tie. 10. in fine; at in contrarium eam esse Ordinem sentientibus pluribus Canonistis, ut videre est apud Fagn. in cap. cum contingat. de etate & qualitate. Utique tamen sententia conciliari facile potest, adhibita distinctione diversarum significacionum, in quibus nomen Ordinis accipi potest. Nam prout Ordo significat certam quendam & stabilem potestatem ad aliquod Altaris ministerium exercendum, prima Tonsura Ordo non est, cum per illam Tonsuratus nulli certo Altaris ministerio deputetur; & in hoc sensu procedit Theologorum sententia: at quatenus Ordo sumitur pro certa quadam qualitate & statu personarum, quomodo frequenter sumi diximus ab initio hujus tit. num. 2. vocari potest Ecclesiasticus Ordo prima Tonsura, quia per illam Tonsuratus segregatur à statu laicali, & admittitur ad Clericalem, ex cit. c. cum contingat. 11. de etate & qualit.

8. Præter supradicta essentialia, quæ in singulis Ordinationibus requiruntur, spectantia ad materiam, & formam; aliæ etiam cæmoniæ interveniunt, quæ tamen non sunt de necessitate Sacramenti, sed solū de necessitate præcepti. Talis censetur esse unctionio, per quam caput Episcopi ungitur sacro Chrismate, & unctionio per

per quam Sacerdos unctionis in manibus Oleo benedicto , & sic de pluribus aliis. Quod si in Ordinatione Episcopi omissa fuerit Sacra Unctio , non debet tota Ordinatio iterari , sed solum unctio omissa suppleri debet , ut præcipitur in c.unico de Sacra Unct. videri potest Sanch. Consil.lib.7.dub.13.

9. Effectus Sacræ Ordinationis multiplex est. Primus est, sicut & reliquorum novæ Legis Sacramentorum , collatio sanctificantis gratiæ non ponentibus obicem , juxta Trid. sess. 7. de Sacram. in genere can. 6. & 7. Ea autem gratia sanctificans confertur cum ordine ad auxilia pro ritè & competenter exercendo cujuscumque Ordinis officio , quod etiam commune est reliquis Sacramentis in ordine ad proprios fines. Alter effectus est spiritualis illa potestas quæ cuilibet Ordinato specialiter traditur ad aliquod Altaris ministerium , puta potestas consecrandi , & absolvendi, quæ traditur Sacerdoti , & sic de reliquis. Tertius demum effectus est Character indelebiter impressus in anima , unde Ordo numeratur inter ea Sacmenta quæ iterari non possunt , ut diximus supra tit. 2. ex Trid. sess. 7. can. 9.

10. Minister Ordinarius validæ Ordinatio-  
nis est solus Episcopus consecratus , ex Florent. in decreto unionis §. Sextum Sacmentum & Trid. sess. 23. cap. 4. can. 7. Quamvis rece-

K. 2

pta

pta sententia sit, ex commissione Summi Pontificis posse concedi etiam simplici Sacerdoti facultatem conferendi primam Tonsuram & Ordines minores: quemadmodum diximus lib. tit. 17. num. 19. concessam esse quibusdam Abbatibus regularibus, habentibus jus ferendi baculum & mitram, relatè ad suos subditos Regulares. Utrum autem etiam potestas conferendi Ordines sacros delegari possit à Summo Pontifice aliis quam Episcopo, videri potest disputatum à Castrop. tract. 27. disp. unic puncto 1. num. 7. & seqq. aliisque ab ipso citatis.

11. Ut autem ordinatio non solum valida, sed etiam licita sit, plura requiruntur, tum ex parte Episcopi Ordinantis, tum ex parte temporis & loci in quo fit Ordinatio, tum ex parte Ordinandorum.

12. Ex parte Episcopi requiruntur omnes illæ conditiones, quæ ad licitam cujuscumque Sacramenti administrationem exiguntur, ut puta ne sit aliqua censura irretitus, & ut sit in gratia constitutus.

13. Ex parte temporis, pro consecratione Episcopi juxta traditionem Apostolicam assignata est dies Dominica, ex cap. *Quod die* 5. dist. 75. Ordines sacri nonni in Sabbato quartuor temporum & Sabbato ante Dominicam Passionis & Resurrectionis, secluso privilegio, conceduntur, juxta textum in c. de eo 3. de

temporibus

temporib. Ordinat. & non nisi tempore Missæ, ut  
habet Ecclesiæ consuetudo. Quod si propter  
multitudinem Ordinandorum, aut aliam ra-  
tionabilem causam, eo die Sabbati aliqua Or-  
dinatio ministrari non potuit; in eo casu per-  
missum esse Episcopo eam Ordinationem dif-  
ferre ad Dominicam sequentem, tradit Layman.  
lib. 4. Theol. mor. tract. 9. cap. 8. nū. 5. Castrop  
in cit. tract. 27. punc̄to 13. num. 3. aliique apud  
ipsum: dummodo tamen tam ipse Ordinans,  
quam Ordinandus naturale exactumque jeju-  
nium continuet, quia ea continuatio jejunii re-  
putari facit mane diei Dominicæ quali unam  
diem cum Sabbato ut colligitur ex cap. Litteras  
13. de temporib. Ordination. ubi ex eadem ratio-  
ne declaratur, nullatenus permitti Episcopo  
Ordinem Sacrum die Dominicæ conferre ei, cuī  
Sabbato antecedenti alium Sacrum Ordinem  
contulit, etiamsi jejunium continuet, quia cen-  
seretur duos Sacros Ordines eidem conferre  
eidem die, quod prohibitum est tum in cit.  
cap. Litteras, tum in cap. Dilectus 15. eod. tum  
recentius in Trid. sess. 23. de reform. cap. 13. De-  
mum quod attinet ad minores Ordines lici-  
tum est Episcopis aliquos promovere, non  
multos ne generalis videatur Ordinatio, Do-  
minicis & aliis festivis diebus ad minores Or-  
dines, juxta textum in cap. de eo 3. de tempor.

K 3

Or.



**Ordin.** Prima autem Tonsura qualibet anni die conferri potest.

14. Rursus ex parte temporis servanda sunt interstitia, quæ inter susceptionem unius alteriusque Ordinis de jure canonico statuta sunt, quæ præsertim locum habent in Ordinibus sacris. Ab Ordine enim subdiaconatus ad Diaconatum nemini permittitur ascendere ex statuto Trident. *sess. 23. de reform.* *cap. 15.* si per annum saltem in Subdiaconatu versatus non fuerit, à Diaconatu etiam ad Presbyteratum non datur ascensus ante annum ministratio[n]is, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo visum fuerit ex Trident. *ibid. cap. 14.* Simile quid decernitur ibi *cap. 11.* circa ascensum ad sacros Ordines à susceptione postremi gradus Ordinum minorum: circa ascensum autem ab uno ad alium eorumdem minorum Ordinum decernitur quoque servanda esse temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur.

15. Ex parte loci, opus est ut Episcopus nullum Ordinem extra propriam diaconis conferrat, nisi de licentia expressa proprii Ordinarii, & tunc ejusdem Ordinarii subditis tantum: alioquin tam ipse Ordinans ab exercitio Pontificalium, quam Ordinatus ab executione Ordinum est ipso jure suspensus, ex Trid. *sess. 6. de refor.* *cap. 5.*

16. Ex

16. Ex parte demum Ordinandorum plura requiruntur, de quibus specialiter sermo est in toto tit. *De temporib. Ordinat. & qualit. Ordinand.* Primò enim requiritur ætas legitima, quæ statuta est à Trident. *sess. 2. de refor. cap. 12.* ut nullus ad Subdiaconatus Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur. At pro Episcopatu requiritur ætas 30. annorum completorum, ex c. cum in cunctis 7. de elect. Pro susceptione minorum Ordinum nulla certa ætas designata est à Trid. & à jure antiquiori, ut notat *Vasq. to. 3. in 3. p. disp. 246. cap. 4. n. 41.* Quare illa sufficiet, quæ satis scientiæ ac discretionis habuerit ad exercendum munus in iisdem Ordinibus commissum.

17. Secundo requiritur tum morum probitas, qualem decet Ecclesiæ ministros, de qua vide Trident. *sess. 23. de refor. cap. 5. 13. & 14.* tum etiam scientia sufficiens prohibitum enim est Ordinen, imo, & primam Tonsuram illitterato contrare, ex c. fin. *de tempor. Ordinat. in 6.* Illitteratus autem esse reputatur ad primam Tonsuram iusciendam, qui fidei rudimenta edoctus non fuerit, & qui legere & scribere ne- sciat, ex Trid. in cit. *sess. 23. de refor. c. 4.* Pro minoribus Ordinibus opus est intelligentia linguae latinx, ex cit. *sess. cap. 11.* Pro Subdiaconatu, &

Diaconatu, præter linguam latinam , exigit  
Concilium ibid. cap. 13. Ordinandus si instru-  
ctus iis , quæ ad Ordinem exercendum per-  
tinent. Tandem pro Ordine Presbyteratus re-  
quirit Concilium ibid. cap. 14. ut Ordinandie-  
tiam ad populum docendum ea , quæ scire om-  
nibus necessarium est ad salutem , ac ad mini-  
stranda Sacra menta , diligenti examine præ-  
dente , idonei comprobentur.

18. Tertio requiritur pro susceptione Sacro-  
rum Ordinum titulus beneficij , ut scilicet  
Ordinandus Beneficium Ecclesiasticum paci-  
fice possideat , quod sibi ad viatum honestè sus-  
ficiat , ne alioquin cum Ordinis dedecore men-  
dicare , aut sordidum aliquem quæstum exer-  
cere cogatur ex *Trid. sess. 21. de reforrn. cap. 2.*  
Quod si beneficio ejusmodi careat , patrimo-  
nium tamen vel pensionem obtineat , unde  
honestè vivere possit , hoc tantum titulo ordi-  
nari non potest , nisi qui ab Episcopo adicetur  
assumendus pro necessitate vel commoditate  
Ecclesiæ suæ , ex *Trid. ibid. quod decretum*  
*confirmatum etiam est à SS. D. N. Innoc. XII.*  
*in Const. quæ incipit Speculares edita 6. No-*  
*vemb. 1694.* Salutaris hæc disciplina si ab Epi-  
scopo negligatur , sine certo titulo aliquem or-  
dinando , tenetur ipse sustentationem Ordinato  
subministrare , donec in aliqua Ecclesia ei con-  
venientia stipendia militiae Clericalis adsignet ,

ex

ex c. Episcopus 4. c. cum secundum 16. de prab. c. si  
Episcopus 37. eod. in 6.

19. Beneficium autem illud , ad cuius titulum aliquis est promotus , ex eod. statuto Tridentini, resignari non potest, nisi facta mentione quod ad illius beneficij titulum sit promotus , nec ea resignatio admitti , nisi constito quod aliunde vivere commode possit , & aliter facta resignatio nulla est , ut diximus lib. 1. tit. 16. num. 11. Quemadmodum etiam si quis sit Ordinatus ad titulum patrimonii , vel pensionis, non potest illa deinceps sine licentia Episcopi alienare , aut extinguere , vel remittere , donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sit adeptus , aut aliunde habeat unde vivere possit , ex cit. c. 2. Trid.

20. Ab hac tamen generali regula excipiuntur Regulares Professi , in quibus loco beneficii succedit voluntaria paupertas. Dixi Regulares Professi : quia Regulares qui Professi non sunt , nequeunt ad Sacros Ordines promoveri absque titulo beneficij , ut statutum est pro sacerdularibus Clericis , ex declaratione B. Pii V. in Bulla quæ incipit *Romanus Pontifex* edita die 11. Novembris 1568. quæ est 75. ejusdem Pontificis in Bullario sub qua tamen declaratione non comprehendi Religiosos Societatis J E S U vota biennii emittentes , qui licet non sint Professi , sunt tamen propriè Religiosi,

giosi, constat ex Bulla Greg. XIII. *Ascendente* edita 14. Junii 1584. quæ est 89. ejusdem Pontificis in Bullario, & ex Bulla Greg. XIV. *Ecclesiæ Catholice*, quæ est 10. ejus Pontificis in Bullario, edita 5. Kal. Julii 1591.

21. Quartò requiritur ut Ordinandus nulla sit censura aut irregularitate ligatus, de quibus in particulari sermo erit infra lib. 4.

22. Quintò demum opus est ut ordinetur a proprio Episcopo, vel si ab alio, saltem de licentia proprii Episcopi, obtentis ab ipso litteris dimissoriis. Si enim Episcopus aliquis alienum subditum absque tali licentia ordinare præsumperit, suspenditur per annum à collatione Ordinum, & præterea taliter Ordinatus à suscepti Ordini executione suspensus est, ut sumitur ex cap. *Eos qui 2. de temporib. Ordinat. 9. q. 2. per totam, & c. i. dist. 71.*

23. Proprius autem Episcopus pro re præsenti ille dicitur, cui aliquis subditur vel ratione beneficii, vel ratione originis, vel ratione domicilii, ut sumitur ex c. *Cum nullus 3. de temporib. ordinat.* In quibus quænam regula servanda sit pro susceptione Ordinum, latè declaratur in supra cit. *Const. SS. D. N. Innoc. XII. Speculatores* edita 6. Novemb. 1694.

24. Quod enim attinet ad rationem beneficii, decernitur ibidem, ut nullus Clericus ratione *suus*

cujuſvis beneficii in aliqua diœcesi obtenti sub-  
jici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cuius  
diœcesi beneficium hujusmodi situm eſt, ad ef-  
fectum ſuſcipiendi ab eodem Episcopo Ordines;  
niſi ipſum ejus ſit redditus, ut ad congru-  
am vitaſ ſuſtentationem, ſive juxta taxam ſyn-  
nodalem, ſive, ea deficiente, juxta morem re-  
gionis pro promovendis ad ſacros Ordines, de-  
tractatis oneribus, per ſe ſufficiat, illudque ab  
Ordinando pacifice poſſideatur, ſublata qua-  
cumque facultate ſupplendi, quod deficeret  
fructibus ejusdem beneficii cum adjectione pa-  
trimonii etiani pinguis, quod ipſe Ordinandus  
in eadem, ſeu alia quavis diœcesi obtineret.  
Decernitur quoque, ut etiam in caſu, quo  
quis ratione beneficii ſufficientis ſubditur jurisdictioni Episcopi ad effectum ſuſcipiendi ab  
ipſo Ordines, non tamen ab eodem ordinetur,  
niſi habuerit testimoniales litteras propriei Epis-  
copi tam originis quam domicilii ſuper ſuis  
natalibus, ætate, moribus, & vita, à quo legi-  
timè promotus fuit ad Clericalem Tonsuram,  
ſeu etiana ad minores Ordines: & ut Episcopus  
ordinans tam de prædictis testimonialibus literis,  
quam de redditu beneficii hujusmodi ex-  
pressam in conſueta collatorum Ordinum atte-  
ſtatione facere debeat mentionem, & ut eadem  
testimonialis litteræ in actis Curiæ Epis-  
copalis conſerventur.

K. 6

25. Quod

25. Quod attinet ad rationem originis , statuitur ibidem , ut ratione Originis ille tantum subditus sit ac esse intelligatur , qui naturaliter ortus est in ea diœcesi , in qua ad Ordines promoveri desiderat : dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accidenti , occasione nimis itineris , officii , legationis , mercaturæ , vel cujusvis alterius temporalis moræ , seu permanentiæ ejus Patris in illo loco , quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas , sed vera tantum & naturalis Patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio , in eo loco , in quo ex accidenti , sicut præmittitur , natus est , moram traxerit , ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri , tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras testimoniales , ut supra , obtainere , illasque Episcopo ordinanti , per eum in collatorum Ordinum testimonio similiter recensendas , præsentare teneatur. At si Pater in alieno loco , ubi ejus filius natus est , tamdiu , ac eo animo permanferit , ut inibi verè domicilium de jure contraxerit , tunc non origo Patris , sed domicilium per Patrem legitimè , ut præfertur , contractum pro Ordinatione ejusdem filii attendi debeat.

26. Demum quod attinet ad rationem domicilii , decernitur ut subditus ratione domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat

taxat censeatur, qui licet alibi natus fuerit, illud tamen adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit: & nihilominus ulterius utroque casu se vere, & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen à propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales litteras, ut supra, afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in suscep-  
rum Ordinum litteris facienda erit.

27. Prædicta procedunt etiam pro iis, quos in alicujus Episcopi familiaritate, vel famularu-  
versari contingat. Si enim aliquis subditus sit  
alterius ~~diœcesis~~, ordinari non potest, nec  
ad primam Tonsuram promoveri ab Episcopo  
cujus est familiaris, & famulus, nisi idem Epis-  
copus ad præscriptum Tridentini *sess. 23. cap. 9.*  
*de refor.* familiarem prædictum per integrum,  
& completum triennium in suo actuali servitio  
secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit. In  
quo etiam casu servitii triennalis pro eo ordi-  
nando opus erit testimonialibus litteris proprii

K 7

eius

ejus Prælati, originis scilicet seu domicili: & insuper Episcopus ordinans, quacumque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis à die factæ Ordinationis, re ipsa illi conferre tenetur beneficium, quod ei ad vitam sustentandam, juxta modum superius præfinitum, sufficiat, ac in Ordinationis hujusmodi Testimonio expressam itidem familiaritatis, ac litterarum prædictarum mentionem facere tenetur. Ita expresse decernitur in cit. Constit. *Speculatores*: ubi etiam contra prædictorum transgressores adjicitur poena, ut Ordinans à collatione Ordinum per annum, Ordinatus autem à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit.

## T I T. IX.

*De Sponsalibus, & Matrimonii.*

1. Alterum Sacramentum voluntatis est matrimonium; legitimus nempe contractus viri, & fœminæ, gratiæ spiritualis collativus, quo mutuam sibi invicem suorum corporum potestatem tradunt. Vim Sacramentalem spiritualis gratiæ collativam habet matrimonium ab institutione Christi Domini. Quamvis enim etiam ante adventum Christi daretur matrimonium;

nium ; attamen Christus illud elevavit in verum, & proprium Sacramentum, quod est de fide & constat ex Trid. sess. 24. can. 1. Videri potest Bellar. to. 2. Controv. *De matrimonii Sacramento controv. 1.*

2. Hæc autem intelligenda sunt de Matrimonio quod inter fideles contrahatur : ii enim dumtaxat sunt Sacramentorum capaces per Baptismum suscepit, qui reliquorum Sacramentorum, & vitæ spiritualis janua est, ut supra diximus *hoc libro 2. tit. 3. nu. 1.* Matrimonia igitur quæ inter non baptizatos celebrantur, utcumque facta sint juxta leges, non tamen Sacra- menta sunt, sed contractus mere civiles, ut pluribus in locis etiam docuit Augustinus citatus à Bellar. in *supradicta controv. cap. 3.*

3. Hinc Authores communiter Matrimonium triplicis generis assignant, nempe Matrimonium legitimum, Matrimonium ratum, & Matrimonium consummatum. Matrimonium legitimum dicitur, quod legitimo contrahentium consensu perficitur, & hoc commune est omni matrimonio, etiam ab Infidelibus cele- brato. Matrimonium ratum vocatur, quod insuper habet ratione Sacramenti, per quam ma- jorem firmitatem & indissolubilitatem acqui- rit, ut constat ex *cap. Quanto 7. de divortiis.* Con- summatum denique dicitur ex quo sequitur co- pula. Matrimonij ratu significat unionem Christi

per

per Gratiam cum Ecclesia : Consummatum autem designat Sacrosanctum conjugium, quod contractum est inter Christum , & Ecclesiam per Incarnationis Mysterium.

4. Circa Materiam , & formam hujus Sacramenti varia opinati sunt varii Doctores, quorum sententias abunde refert , & examinat Th. Sanch. de Matrim. lib. 2. disp. 5. ubi inter reliquas eam tamquam probabiliorem amplectitur post D. Th. in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. Suarium to. 1. de Sacram. q. 60. art. 8. disp. 2. sect. 1. Bellarminum lib. 1. de Matrim. cap. 6. aliosque, qui docet quod sicut alii contractus conficiuntur traditione, & acceptatione illius rei , de qua est contractus , ipsa autem res non concurrit nisi tamquam materia circa quam ; ita pariter in matrimonio , ejus essentia consistit in mutua traditione, & acceptatione corporum, hoc est in consensu utriusque conjugis verbis aut nutibus expresso , qui quatenus mutuam traditionem continent, habent rationem materiæ, quatenus autem efficiunt mutuam acceptationem, habent rationem formæ : ipsa autem conjugum corpora sunt materia circa quam fit contractus: quod præsertim procedit si matrimonium consideretur prout est in fieri , si enim consideretur prout est in facto esse, seu prout est quid permanens postquam semel celebratum est ; idem

Sanch.

Sanch. ibidem cum Bellar. concedit vocari posse ipsos conjuges materiam ejusdem.

5. Inde fit quod quamvis in contrahendo matrimonio intervenire necessario debeat Parochus, ut postea explicabitur, idem tamen Parochus non est proprie hujus Sacramenti minister, cum neque ponat materiam, neque formam Sacramenti hujus; sed ipsi contrahentes sunt Ministri confidentes hoc Sacramentum: unde etiam matrimonia clandestina, quæ ante Concilium Trid. absque interventu Parochi celebrabantur, rata erant, & vera matrimonia, ex Trid. sess. 24. cap. 1. de refor. matrim. Quamvis enim Christus Dominus elevaverit matrimonium ad esse Sacramenti, reliquit tamen in illo naturam contractus: de natura autem contractus est, ut ipsi contrahentes suis censensibus se ligent, nec aliis, præter ipsosmet, contractum efficiat.

6. Quia autem contractui matrimoniali præcedere solent sponsalia; ideo de his dicendum breviter aliquid hic est. Sponsalia dicta sunt à spondendo. Nam etiam veteribus moris fuit stipulari, & spondere sibi uxores futuras, l. 2. ff. de sponsalib. unde in l. 1. ff. eod. definiuntur sponsalia, mentio & re promissio nuptiarum futurarum. Debet autem ejusmodi promissio mutua esse aliquo externo signo manifestata, quod fieri potest, vel expressis verbis, ut si sibi

mutuo dicant *Ego te accipiam in meam conjugem, & ego te in meum;* vel litteris, ut cum paci-  
cuntur de futuris nuptiis per epistolam, vel alio  
quolibet externo signo sufficienter demon-  
strante reciprocum consensum utriusque con-  
trahentis.

7. Sed & idem perfici potest per Procurato-  
rem habentem speciale mandatum, juxta tex-  
tum in c. fin. de procurator. in 6. ubi etiam præ-  
cipitur, ut Procurator habens ejusmodi specia-  
le mandatum, non possit alium substituere, nisi  
hoc eidem specialiter sit commissum, propter  
magnum, quod ex facto tam arduo posset peri-  
culum imminere; quod statutum quamvis lo-  
quatur expresse dumtaxat de matrimonio, ex-  
tendendum tamen esse etiam ad sponsalia quæ  
sunt dispositio; & via ad matrimonium, tradit  
Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 11. n. 3. & 5. arg. l.  
*Oratio 16. ff. de sponsalib.*

8. Habiles ad sponsalia contrahenda sunt  
generaliter illæ personæ, inter quas accedente  
legitima ætate dari potest licite, & valide ma-  
trimonium. Promissio enim rei illicitæ nulla  
est, ex c. *nemo potest 6. c. non est obligatorium 58. c.*  
*in malis promissis 69. de reg. jur. in 6.* Requiritur  
etiam ad sponsalia contrahenda liber usus ra-  
tionis, unde perpetuo amentes, & furiosi con-  
trahere non possunt, cum non habeant determi-  
natum consensum, c. *dilectus filius 24. de sponsa-*  
*lib.*

lib. nisi habeant lucida intervalla; & tempore talium intervallorum sponsalia contrahantur.

9. Sponsalia legitime, & absolute contracta per se, & regulariter obligant sub culpa mortali ad matrimonium suo tempore contrahendum, non minus ac obligent alii contractus in materia gravi, c. de conjugali 50. 27. q. 2. c. 2. de spons. aliisque juribus, per quae correcta est l. 1. C. de sponsalib. ubi olim de jure civili, alii desponsata renuntiare conditioni, & nubere alii non prohibebatur, ut tradit Sanch. cum communis sententia lib. 1. de matrim. disp. 27. Si quis igitur a talibus sponsalibus absque legitima causa resiliat, moneri debet a Judice Ecclesiastico, & per censuram compelli ad matrimonium contrahendum, c. ex litteris 10. de sponsalib. Nisi tamen coactio timeatur habitura difficilem exitum, aut impeditura libertatem consensus; in quo casu resiliens monendus erit potius quam cōgendus, juxta textum in c. requisitum 17. eod. Libera enim matrimonia esse debent, ut dicitur in c. gemma 29. eod. ubi propterea prohibetur etiam in contractu sponsalium impositio pœnæ solvendæ per eum qui a sponsalibus resiliverit: quia scilicet metu pœnæ restringeretur libertas matrimonii. Eiusmodi pœnæ impositio in sponsalibus prohibita etiam est in jure civili, ut constat ex l. mulier. 5. §. fin. C. de sponsalib.

10. Hoc tamen non obstante, arrhas dari posse,

posse, hoc est aliquid ab Sponso Sponsæ, vel  
è contra, in signum, & pignus matrimonii pro-  
missi, quod fide; violator amittat, est sententia  
recepta, ex permissione utriusque juris, ut con-  
stat ex cit. *l. mulier. c. si quis uxorem* 14. 27. q. 2.  
*& c. Nostrates* 3. 30. q. 5. Timor enim amissionis  
arrharum regulariter non impedit libertatem,  
quemadmodum timor solvendæ poenæ pro-  
missæ: quia arrhæ, utpote necessario statim tra-  
dendæ, nonnisi in exigua quantitate, & matura  
deliberatione concedi solent; secus autem po-  
ena, quæ quia non traditur, sed tradenda pro-  
mittitur, facile, & incautè, & in magna quanti-  
tate offertur. Videri potest Sanch. *de matrim. lib.*  
*1. disp. 35.*

11. Prædicta obligatio ex sponsalibus contra-  
cta, ne ab illis recedatur, sed procedatur ad ma-  
trimonium suo tempore contrahendum, intel-  
ligenda est ubi legitima resiliationis causa non  
intervenerit. Multiplex enim assignari potest  
causa, propter quam sponsalia dissolvi possint,  
cum Sacramentum ipsa non sint, sed tantum-  
modo via ad Sacramentum Matrimonii susci-  
piendum. Primo igitur dissolvuntur ex mutuo  
utriusque consensu libero, ut colligunt Docto-  
res ex *c. 2. de sponsalib.* ubi assertur exemplum  
contractus societatis, qui per mutuum sociorum  
consensum expirat, quemadmodum per mu-  
tuum eorundem consensum celebratus fuit:  
quia

quia omnis res per quascumque causas nascitur,  
per easdem dissolvitur. c. 1. de reg. jur. Secundò  
dissolvuntur per professionem religiosam in  
Religione approbata, & per susceptionem Or-  
dinis Sacri: utraque enim incapacem reddit  
matrimonii contrahendi: quidquid sit utrum  
sponsalibus adstrictus, sponsa deserta, possit li-  
cite Religionem ingredi, aut sacro Ordine ini-  
tiari, ubi præsertim fuerint sponsalia jurata, de  
quo disputat Sanch. de matrim. lib. 1. disp. 43. &  
disp. 47. Castrop. par. 5. de sponsalib. disp. 1. punc<sup>o</sup>  
17. n. 4. & punc<sup>o</sup> 19. aliique apud ipsos.

12. Tertio dissolvuntur per sequentem for-  
nitionem sive Sponsi, sive Sponsæ. Si enim  
hæc sufficiens est causa ad dissolvendam mutu-  
am conjugum habitationem post contractum  
conjugium; à fortiori sufficiet ante contractum  
conjugium ad cohabitationem non contrahen-  
dam: quia turpius ejicitur quam non admit-  
titur hospes, ut dicitur in c. quemadmodum  
25. de jurejur. Cum autem hæc sponsalium dis-  
solutio concessa sit in solius innocentis favo-  
rem, & id quod ob gratiam alicujus conceditur,  
non sit in ejus dispendium retorquendum c. 61.  
de reg. jur. in 6. ideo solus innocens habet jus re-  
scindendi sponsalia, fornicans autem adhuc ob-  
strictus est sponsalium obligationi, si alter Spon-  
sus perficere contractum velit, ne commodum  
ex iniuitate reportet.

13. Quar-

13. Quartò solvi possunt sponsalia si gravis aliqua mutatio post illa contracta superveniat, ut puta si mulier fieret non solum leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos, vel nasum amitteret, vel quicquam ei turpius eveniret, juxta textum in cit. c. quemadmodum 25. de jurejur. aut etiam ex defectu promissæ dotis, ut docet communis sententia teste Castrop. in cit. disp. puncto 28. quia promissio dotis est veluti conditio sub qua sponsalia celebrantur: quare deficiente ea conditione, etiam citra fæminæ culpam, non obligabunt, ut docet Sanch. de matrimon. lib. 1. disp. 59.

14. Demum solvuntur sponsalia, si non licite, saltem valide per subsequens matrimonium per verba de præsenti contractum ab alterutro cum alia persona, ex c. si inter 31. de sponsal. vinculum enim matrimonii est fortius, & prævalet vinculo sponsalium.

15. Præter obligationem supradictam, quæ oritur ex sponsalibus, legitime celebratis, alias quoque sponsalium effectus est quædam quasi affinitas, seu propinquitas, quæ de Jure Canonico introducta est, atque contrahitur à Sponsa relate ad consanguineos suæ Sponsæ, & vicissim à Sponsa relate ad consanguineos sui Sponsi, eo proportionaliter modo quo perfecta affinitas contrahitur ex matrimonio contracto per verba de præsenti. Ratione hujus propinquitatis,

tatis, nequit qui matrimonium contrahere cum aliqua, quæ sit consanguinea alterius, cum qua prius sponsalia contraxit, & vicissim matrimonium contrahere non potest mulier cum aliquo consanguineo alterius, cui se prius desponsavit, ut constat ex c. sponsam 8. de sponsat lib. c. ad audienciam 4. eod. & propterea talis affinitas ex sponsalibus contracta numeratur inter impedimenta dirimentia, de quibus paulo infra sermo erit, vocaturq; impedimentū justitiae publicæ honestatis, ex c. unico de sponsal. in 6.

16. Hoc impedimentum antiquitus oriebatur ex quibusvis sponsalibus puris & certis, etiam si ea essent nulla propter aliquod impedimentum dirimens, puta propter consanguinitatem, affinitatem, Sacros Ordines &c. dummodo non essent nulla ex defectu consensus; ex cit. c. unico de sponsalib. in 6. item extendebatur usque ad quartum gradum, ut sumitur ex c. non debet 8. de consanguinit. & affinit. At per Tridentinum sess. 24. cap. 3. de refor. matrim. statutum est, ut hoc impedimentum non oriatur nisi ex sponsalibus validis; ubi autem valida fuerint, non excedat primum gradum. Quid autem sint gradus, ubi de affinitate, vel consanguinitate sermo est, & quomodo numerādi, paulo inferius exponetur.

17. Post sponsalia, quæ contrahuntur per verba de futuro, sequitur Matrimonium contractum per verba de præsenti, quod in lege

Evan-

Evangelica, ut supra diximus, est Sacramentum. Ad illud valide contrahendum requiritur liber consensus & acceptatio utriusque Sponsi; ut postulat ipsa natura contractus. Item requiritur ut contrahatur in facie Ecclesiae, seu coram proprio Parocho, & Testibus. Matrimonia enim sine tali solemnitate contracta, vocantur clandestina, quæ antiquitus, quamvis essent reprobata ab Ecclesia, erant tamen valida: nunc tamen non solum illicita sunt, sed etiam invalida, eo quod à Trid. sess. 24. de reform. Matr. cap. 1. fuerint irritata.

18. Præterea requiritur ad validitatem Matrimonii, ut nullum in utriusque contrahente detur impedimentum ex iis, quæ dirimentia nominantur. Huic juri servando consultum est à Trid. in cit. c. 1. sess. 24. ubi præcipit, ut antequam Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuntietur inter quos Matrimonium sit contrahendum. Quod si aliquando probabilis sit suspicio, Matrimonium malitiosè impediri posse, tot præcesserint denuntiationes; tunc vel una tantum denunciatio fiat; vel saltem Parocho, & duobus, vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur: deinde ante illius consummationem denunciations in Ecclesia fiant; ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius

dete

detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur; quod illius prudentiæ, & judicio Sancta Synodus relinquunt.

19. *Dixi nullum detur impedimentum ex iis quæ dirimentia nominantur.* Duplicis enim generis recensentur impedimenta Matrimonii. Alia sunt impedimenta tantum, propter quæ scilicet prohibetur contractus Matrimonii; sed si de facto fiat, valide fit, quamvis etiam illicite. Alia sunt impedimenta dirimentia, quæ ita vocantur, non quia Matrimonium jam semel valide contractum dirimant, sed quia dirimunt Matrimonium attentatum, seu impediunt ne Matrimonium valide contrahatur.

20. *Inter impedimenta primi generis, quæ tantum impediunt, sed non dirimunt, numeratur prohibitio, quæ ab Ordinario fiat ad aliquod tempus de conjugio contrahendo, ut constat ex toto tit. De Matrimonio contracto contra Interd. Eccel. Secundo tempus feriarum, quod ex Trid. eff. 24. de reform. Matrim. cap. 10. extenditur ab adventu Domini usque in diem Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum usq; in Octavam Paschatis inclusive: quibus diebus prohibentur nuptiæ solemniter celebrari. Tertio Sponsalia per verba de futuro contracta cum aliqua persona: iis enim permanentibus prohibitum est contrahere Matrimonium cum alia persona. Quar-*

L

tò

to votum simplex non nubendi, aut votum suscipiendi Sacros Ordines, aut ingrediendi Re ligionem, vel castitatem servandi ex c. consula 4. c. Meminimus 3. c. Rursus 6. Qui Clericiv oyentes &c. & ex c. unico de voto in 6. Ali plura circa hoc genus impedimentorum vi deri possunt apud Sanch. lib. 7. de Matrim. diff 6. & seqq.

21. Impedimenta secundi generis, quæ no solum reddunt illicitum contractum Matrimo nii, sed etiam impediunt ne valide fiat, uno & illud dirimunt si forte attentatum fuerit, a tento jure veteri sunt 12. quibus alia duo addi sunt à Trid. sess. 24. de refor. matrim. cap. 1. & quæ omnia his versibus continentur.

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen. Cultus, disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas. Si sis Affinis, si forte coire nequibus, Si Parochi, & duplicitis desit praesentia testis, Raptave sit mulier, nec parti redditatuta: Hæc socianda vetant, connubia facta retrahunt. Impedimenta tribus primis versibus contenta sunt etiam de jure veteri: ea autem, quæ du bus sequentibus versibus continentur, statim sunt à Trid. in locis citatis.

22. Primum igitur impedimentum di mens est error, qui fit circa personam ipsam, si quis existimans se contrahere cum una per sona, contrahat cum alia. Ad valorem enim Matrimo

triamonii maxime requiritur consensus liber; hic autem cum tali errore non datur, ut sumitur ex l. si per errorem 15. ff. de jurisd. omnium Ju- dicum, l. Cum Testamentum 8. & l. Non idcirco 9. C. de Juris, & facti ignorantia. Si tamen error sit solum circa qualitatem personæ, ut puta si quis contrahat cum aliqua, quam putat esse di- vitem, aut nobilem, cum tamen talis non sit; subsistit Matrimonium: talis enim error non impedit consensum substantialiter requisitum, qui respicit personam ipsam, non autem quali- tates personæ: nisi tamen ipsa qualitas personæ apponatur in contractu, tanquam conditio sine qua non, ut si quis dicat contraho tecum si di- ves aut nobilis es, & aliter non contraho.

23. Secundum impedimentum est conditio servilis ignorata, ut constat ex c. 2. 3. & ult. de conjug. servor. unde si quis liber contraxit cum ancilla cuius servitutem ignorabat, aut è con- verso, & postquam intellexit conditionem ip- sius, nec facto, nec verbo consensit in eandem, separatur matrimonium, & cum alia contrahe- re poterit. Nomine autem conditionis servi- lis debet hic intelligi servitus proprie, & rigorose dicta, qualis est ea, per quam aliquis ita subji- citur dominio alterius, ut possit etiam ab eo- dem venundari.

24. Tertium impedimentum est votum sole- ne castitatis, quale est quod emititur in Pro-  
fessione  
L 2

fessione Religiosa, & in susceptione Ordinis Sacri, quod dirimit Matrimonium postea contractum, juxta textum in c. unico de Voto, & votis rempt. in 6. Votum autem simplex & si quandoque Matrimonium impedit contrahendum, non tamen rescindere potest Matrimonia post contracta, ex cit. c. unico, excepto voto simplicis castitatis quod à Religiosis Societatis emittunt post Novitiatum, quod habet vim dirimend. Matrimonium ex constit. Greg. XIII. Ascendente 89. ejusdem Pontificis in Bullario.

25. Quartum impedimentum est cognatio quæ triplex est, spiritualis, legalis, & naturalis de quibus singulis extant speciales rubricæ in lib. 4. Decretal. Cognatio spiritualis est propinquitas personarum jure Ecclesiastico inducta ex susceptione vel ministratione Sacramenti Baptismi, & Confirmationis, eaque contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, ejusque Patrem, & Matrem, inter Patrinum & baptizatum eiusque Patrem & Matrem: & idem est in Sacramento Confirmationis. Hoc etiā genus cognationis est impedimentum dirimens, ut supradictum est hoc lib. 2. tit. 3. n. ult. & tit. 4. n. ult. sumiturque ex toto tit. de cognat. spirit. & ex Tract. 24. de refor. matrim. cap. 2.

26. Cognatio legalis est propinquitas personarum ex adoptione proveniens, inventa primitus & indueta à Jure civili §. & hac adeo

¶ §. Inter eas Instit. de nupt. aliisque juribus, ac deinde à Sacris Canonibus approbata, ut constat ex c. Ita diligere 30. q. 3. & ex cap. unico de cognatione legali. Resultat hæc cognatio primò inter adoptantem, & adoptatum: secundo inter adoptatum, & filios carnales saltem legitimos adoptantis, quæ est quasi linea transversalis in cognatione legali: tertio, per modum cuiusdam affinitatis, inter adoptantem & uxorem adoptati, nec non inter adoptatum, & adoptantis uxorem.

27. Quamlibet hujusce legalis cognationis speciem esse impedimentum dirimens, est sententia recepta, ut videre est in Panor. rubr. de cognat. legali Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 63. aliisque apud ipsum. Cum enim à Jure Canonico in rubrica de cognat legal. approbetur in communi cognatio legalis, prout statuta fuerat per Jus Civile; per hoc autem statutum sit quamlibet ex dictis cognationibus legalibus esse impedimentum dirimens Matrimonii contrahendi; sequitur quamlibet illarum cognationum etiam de Jure Canonico esse impedimentum dirimens Matrimonii contrahendi. Sed & in particulari, prima species cognationis quæ est inter adoptantem & adoptatum, approbatur in cit. c. Ita diligere 30. q. 3. Altera species lineæ transversalis quæ est inter adoptatum & filios carnales adoptantis, approbatur in cit. c. un-

co de cognat. legal. &c in c. per adoptionem 6. 30. q. 3.  
 Tertia species cognationis quæ est inter adoptantem & uxorem adoptati, nec non inter adoptatum & adoptantis uxorem quamvis nullo expresso textu Juris Canonici approbata reperiatur; adhuc tamen & ipsa approbata censetur in generali approbatione cognationis legalis, notat Sanch. in cit. diff. 63. n. 17.

28. Id tamen discriminis pro re præsentie inter easdem cognationis legalis species, quod prima species impedit, & dirimat perpetuo matrimonium, id est impedimentum duret inter adoptantem, & adoptatum etiam soluta adoptione seu post emancipationem adoptati, juxta textum in l. *Quin etiam 55. ff. de ritu nuptiar.* & §. Ergo non omnes Instit. de nuptiis. Idem Juris est de tertia specie ex l. *Adoptivus 14. ff. de ritu nupt.* At secunda species cognationis legalis in linea transversa inter filios carnales adoptantis, & filios ejusdem adoptivos, non impedit in perpetuum, sed quamdiu durat adoptio, seu quamdiu iidem filii sub adoptantis potestate permanent, ex c. uni. *De cognat. leg.* & l. *Per adoptionem 17. ff. de ritu nuptiar.* Quare soluta patria potestate, vel per mortem adoptantis, vel per emancipationem secundum leges, sive filii adoptivi, sive naturalis, cessat impedimentum prædictum; ut puta si qua per adoptionem soror tibi esse cœperit, ac deinde

vel

30. q.3.  
adop-  
ter ad-  
s nullo  
a repe-  
nentur  
galis, us  
enti est  
, quod  
rpetuo  
uret in-  
uta ad-  
optati,  
tu nup-  
r. Idem  
s 14. ff.  
ationis  
arnales  
, non  
rat ad-  
otantis  
at. leg.  
Quan-  
adop-  
im le-  
at im-  
ua per  
deinde  
vel

vel ipsa, vel tu emancipatus fueris, nihil est im-  
pedimento nuptiis inter te, & illam celebran-  
dis, juxta textum in §. Inter eas Inst. de  
nuptiis.

29. Quod si contingat adoptari aliquem, qui  
tempore adoptionis sub potestate sua proprios  
filios habeat, nepotes, aliosve descendentes; in  
tali casu contrahitur etiam cognatio legalis in-  
ter adoptantem, & ipsos. Adoptata enim ali-  
qua persona, censentur adoptati etiam ejus filii,  
ac descendentes in quovis gradu, qui tempore  
adoptionis erant in ejus potestate, ut expresse  
deciditur in l. Si paterfamilias 15. ff. de adoption.  
adeoque inter ipsos, & adoptantem stare non  
potest matrimonium. Secus est de filiis quæ  
tempore adoptionis non sunt sub potestate ad-  
optati, unde infert Sanchez in cit. disp. 63. posse  
confidere Matrimonium inter adoptantem, &  
filiam filiæ adoptivæ, quia mulier neminem  
habet in sua potestate, ex §. fæmina Inst. de ad-  
option. nec non inter adoptantem, & quem-  
cumque filium illegitimum adoptati, quia ille-  
gitimus, quamdiu talis est, non est sub potesta-  
te Patris, ex §. fin. Inst. de nuptiis. Videri  
potest Sanchez in cit. disp. 63. lib. 7. de  
Matrim.

30. Cognatio naturalis dicitur, quæ per con-  
sanguinitatem, aut affinitatem contrahitur. Est  
autem consanguinitas propinquitas personarū

ab eodem stipite descendentium, ac distingui solet per lineas, & gradus. Nomine linea intelligitur ipsamet personarum collectio ex eodem stipite procedentium, dividiturque in lineam rectam, & in lineam transversalem. Linea recta est illarum personarum collectio, & series, quarum una generatur ab alia, continetque ascendentes, & descendentes, v. g. Avus, Pater, Filius, Nepos, &c. Linea transversalis est collectio illarum personarum, quae ab eodem stipite procedunt, sed una non generatur ab alia. Nomine graduum consanguinitatis intelligitur habitudo seu mensura conjunctionis consanguineorum inter se, qua cognoscitur quota consanguinitatis distantia inter se conjugantur, per ordinem ad stipitem, a quo descendunt.

31. Pro computatione talium graduum triplex regula a Doctoribus assignari sole: post Glos. in c. fin. de consanguin. & affinit. & 3. q. in expositione arboris consanguinitatis. Prima est pro linea recta, videlicet: Tot gradibus unus alteri conjungitur, quot generatores intermedian. Unde filius est in primo gradu cum Patre, quia media unica generatione ab eo procedit: at Nepos cum Avo est in secundo gradu, quia mediat duplex generatio, & sic de reliquis. In idem recidit quod paulo diversis terminis ab aliis dicitur, nempe, inter personas

nas ad lineam rectam pertinentes, quarum gradus quæritur, vel nulla mediat persona, sicut accidit inter Patrem, & filium; vel mediat aliqua alia seu multiplex persona: si nulla mediat, sunt in primo gradu; si autem mediat aliqua vel multiplex, tunc numeratis omnibus personis, mediis & extremis, dentatur de numero illo una persona, & quot personæ restant, tot sunt gradus, ut puta nepos distat ab Avo in secundo gradu linea rectæ, quia sunt duæ personæ extremæ quarum gradus quæritur, scilicet Nepos, & Avus, & una media inter ipsos, hoc est Pater Nepotis; unde dempta una manent duæ & sic duo gradus. Idem dic de reliquis.

32. Secunda regula est pro linea transversa æquali, in qua dicuntur esse illi, qui æqualiter distant à communi stipite, & non originatur unus ab alio, uti sunt frater, & soror, &c. vide-licet: Tot gradibus unus alteri conjungitur, vel ab eo distat, quot quilibet conjungitur, vel distat à communi stipite. Hinc frater, & soror sunt in primo gradu, quia uterque distat unico gradu à communi stipite, scilicet à Patre, at ne-  
pos & neptis ex eodem avo distant duobus gra-  
dibus, quia uterlibet duobus gradibus distat à  
communi stipite, nempe ab Avo.

33. Tertia regula est pro iis qui sunt in linea transversali, & inæqualiter distant à communi stipite; vide-licet: Tot gradibus unus alteri con-

jungitur, vel ab eo distat, quot distat à communi stipite is qui remotior est. Hæc traditur expressè in c. fin. de consang. v. g. Petrus habet filios Paulum, & Joannem, Joannes autem habet filium Franciscum; Paulus, & Franciscus, nempe Petrus, & ex fratre Nepos, sunt in secundo gradu, quia Franciscus Nepos, qui est remotione communi stipite, nempe à Petro, distat ab ipso Petro duobus gradibus.

34. Quoad istam graduum computationem Jus Canonicum partim convenit cum Jure civili, partim ab eo differt. Convenit in computatione graduum lineæ rectæ: differt in computatione graduum transversæ lineæ, ut exponitur in cap. Ad sedem 35. quæst. 5. Cum enim Jus Canonicum duos fratres reponat in primo gradu consanguinitatis, Jus civile illos reponit in secundo; & eodem modo filii fratrum in Jure civili computantur in quarto gradu, cum secundum Canones computentur in secundo, & ulterius, ita ut duo gradus legales unum Canonicum constituant. Unde pro computandis gradibus in linea transversa, attento jure civili, haec traditur regula à Sanch. lib. 7. de Matrim. dig. 50. n. 7. Duo consanguinei, quorum gradus queritur, existentes in linea transversali, si sunt in linea transversa æquali, vel in linea transversa inæquali. Si sunt in linea æquali, quanto gradu uterlibet distat à communi stipite.

te, toto duplicato distant inter se: at si linea sit inæqualis, quot sunt personæ computatis extre-  
mis, & mediis, stipite dempto, tot sunt gradus.  
Ut puta duo fratres de jure civili distant dupli-  
ci gradu, quia quilibet illorum distat à com-  
muni stipite, nempe à communi Patre, unico  
gradu, unde duplicato uno gradu, manent duo.  
At Patruus, & filius ex Fratre distant de Jure civi-  
li in tertio gradu, quia sunt duæ personæ extre-  
mæ, & una mediat, videlicet Pater illius filii,  
unde tres gradus efficiuntur.

35. Ratio hujus diversitatis indicatur in cit.  
c. *Ad sedem*: quia scilicet jura civilia numerant  
gradus in ordine ad successionem hæreditatum,  
pro quibus attenduntur singulares personæ &  
ideo in singulis personis singulos perficiunt gra-  
dus: at Sacri Canones computant gradus, ut  
rite Matrimonia celebrentur. Cum autem  
Matrimonia sine duabus personis fieri non pos-  
sint; ideo Sacri Canones duas personas in uno  
gradu constituerunt. Atque hic computandi  
modus de Jure Canonico statutus servandus est  
in ordine ad matrimonia.

36. His præsuppositis, consanguinitas est  
impedimentum dirimens, quod antiquitus ex-  
tendebatur usq; ad septimū gradum, ut constat  
ex cit. c. *Ad Sedem*. Sed nunc extenditur dum  
taxat ad quartum, ex c. fin. de Consanguin. ubi  
decernitur quod si Vir stat à communi stipite  
quar-

quarto gradu, & mulier ex alio latere distat ab eodem stipite quinto gradu, licet possunt matrimonio copulari, juxta tertiam regulam supra positam, quod scilicet computatio graduum inter duos in linea transversali inæqualiter a communi stipite distantes desumitur à remota, juxta quam regulam in tali casu Vir, & Mulier dicuntur esse in quinto gradu consanguinitatis.

37. *Alia species cognitionis naturalis est affinitas, quo nomine intelligitur propinquitas personarum ex carnali copula proveniens, sive ea sit copula conjugalis, sive fornicaria. Talem cognitionis speciem contrahunt cum viro consanguinei uxoris, unde v. g. nepos uxoris dicitur esse affinis viro; & eodem modo eandem contrahunt cum uxore consanguinei viri, unde v. g. nepos viri est affinis uxori. In hac etiam specie cognitionis numerantur gradus sicut in consanguinitate: imo in quo gradu aliquis est consanguineus viro, in eodem gradu est affinis uxori; & in quo gradu est consanguineus uxori, est affinis viro. Sic quia Soror uxoris est in primo gradu consanguinitatis cum uxore, ita pariter est in primo gradu affinitatis cum viro.*

38. *Quemadmodum autem ex dictis consanguinitas usque ad quartum gradum inclusa est impedimentum dirimens; ita & affinitas*

pro



proveniens ex copula licita, & conjugali, juxta textum in cap. Non debet 8. de consanguinit. Si autem affinitas oriatur ex copula fornicaria, extenditur dumtaxat ad secundum gradum inclusivè, ex decreto Trident. sess. 24. de reform. Matrim. cap. 4.

39. Quintum impedimentum est *crimen*, sub quo nomine comprehenduntur aliqua specialia delicta, in quorum pœnam Ecclesia reddit inhabiles ad contrahendum simul matrimonium eas personas, quæ simul illa delicta commiserunt. Hujusmodi crimen est primo adulterium simul cum occidente conjugis proprii, vel alieni, seu cum machinatione ejusdem occisionis, effectu subsecuto, ut sumitur ex cap. 1. & 3. & 6. de eo qui duxit in matrim. & ex cap. Si quis vivente 5. 31. quæst. 1. juncta communis Theologorum, & Juristarum sententia apud Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 78. num. 7. Alterum crimen præstans impedimentum dirimens matrimonio est adulterium cum promissione facta de Matrimonio post obitum conjugis contrahendo, ut patet ex cap. 1. & cap. Venniens 7. & cap. fin. de eo qui duxit in matrimonium &c. Non contrahitur igitur impedimentum dirimens per solum adulterium, sed per adulterium conjunctum cum occidente, aut machinatione occisionis conjugis, vel cum promis-

missione futuri conjugii , ut etiam habetur in  
c. significasti 6. eod.

40. Quod si contingat nullum adulterium  
committi , sed solum occisionem conjugis  
ex intentione contrahendi Matrimonium cum  
conjuge superstite ; pro tali casu distinctione  
utitur Th. Sanch, in cit. *disp. 78. num. 9.* Vele-  
nium uterque copulari matrimonio volens co-  
operatus est ad mortem alteri conjugi inferen-  
dam , ut cum superstite contrahatur , vel al-  
ter dumtaxat absque alterius opera , aut con-  
silio mortem illam machinatus est. Si uterque  
contrahitur impedimentum dirimens etiam si-  
ne adulterio , ut satis colligitur ex *cap. 1. de  
convers. infidel.* Si autem unus dumtaxat ex  
illis mortem machinatus est absque alterius o-  
pera , vel consilio ; etiam pro tali casu docet  
Innoc. in *cap. Super eo. de eo qui duxit Gc.* con-  
trahi impedimentum dirimens , etiam sine ad-  
ulterio ; alii tamen plurimi , quos in loco  
citato refert , & sequitur idem Sanch. sentiunt ,  
tunc tale impedimentum non contrahi , nisi et-  
iam interveniat adulterium.

41. Sextum impedimentum est *cultus dispa-  
ritas* , quo nomine intelligitur diversitas illa ,  
quæ intervenit inter personam baptizatam , &  
personam non baptizatam. Ratione hujus im-  
pedimenti nequit vir Christianus matrimo-  
nium contrahere cum muliere pagana , aut  
MW.

mulier Christiana cum viro pagano: quidquid sit utrum hoc impedimentum dirimens introductum sit à jure scripto, videlicet ex Conc. Nicæno primo can. 67. & can. 69. ut aliqui volunt, sive, ut alii malunt, à consuetudine per Ecclesiam approbata, & vim legis habente. Congruentia hujus legis magna est. Cum enim Christus Dominus Matrimonium in Sacramentum elevaverit, non debet Christianus Matrimonium contrahere quod Sacramentum non sit, sicut de facto Sacramentum non esset si cum non baptizato contraheretur, eo quod non baptizatus non sit capax alicujus Sacramenti suscipiendi, & nequeat matrimonium esse Sacramentum ex parte unius, & non ex parte alterius conjugis, cum matrimonium sit unicum vinculum afficiens duas personas. Matrimonium tamen personæ Catholicæ cum persona hæretica, et si regulariter peccantinorum sit, ut constat ex can. 13. Conc. Calcedon. ex cap. Decretit 14. de hæret. in 6. aliisque juribus; non tamen est irritum, arg. ejusdem cap. Decreuit, ubi decernitur, uxores Catholicas, quæ scilicet hæreticis nupsere, privandas esse dote in pœnam delicti, & tamen non jubentur separari & ita fert consuetudo in Ecclesia, ut ejusmodi matrimonia reputentur valida, sicut tradit Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 72. n. 2.

42. Septimum impedimentum est Vis, que nomi-

nomine intelligitur coactio , aut metus, quo Matrimonium irritatur si sit metus gravis , & injuste incusus, ut patet ex cap. Cum locum 14. Veniens 15. de Sponsalib. & c. 2. de eo qui duxit matrim. &c.

43. Octavum impedimentum est *Ordo* , videlicet *Ordo Sacer*, qui vel ratione sui , vel solemnis voti castitatis secum adnexi matrimonium contrahendum dirimit , ut desumitur ex cap. 1. & 2. aliisque, qui Clerici; vel videntes &c. & ex c. un. de voto in 6.

44. Nonum impedimentum est *ligamen*, quo nomine intelligitur vinculum matrimoniale jam contractum inter duos : quamdiu enim tale vinculum durat , uterque conjux est inhabilis ad aliud matrimonium contrahendum , ut constat ex c. licet 4. & c. fin. de Sponsalorum , cap. Gaudemus 8. de divortiis , aliisque textibus.

45. Decimum impedimentum est *honestas*, hoc est impedimentum *justitiae publicæ honestatis*, quod sicut contrahitur ex sponsalibus de futuro , ut supra dictum est num. 15. ita & à fortiori contrahitur ex matrimonio contracto per verba de præsenti , ut docent Joan. Andr. in c. *Sponsam* , initio de Sponsal. & ibi Abb. num. 1. aliquique relati à Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 70. num. 1. Cum autem Conc. Trid. sess. 24. de reformat. matr. cap. 3. restrinxerit impedimentum justi-

justitiae publicæ honestatis ortum ex sponsali-  
bus contractis per verba de futuro, ita ut non  
extendatur ultra primum gradum, & ita ut lo-  
cum non habeat ubi sponsalia quacumque ra-  
tione valida non sint, ut supra diximus num. 16.  
dubitatum olim fuit utrum ista restrictio intel-  
ligenda sit etiam pro matrimonio contracto per  
verba de præsenti. Hæc tamen dubitatio sub-  
lata fuit à B. Pio V. in Bulla quæ incipit *Ad Ro-*  
*manum* edita Kal. Jul. 1568. quæ est 62. ejusdem  
Pontificis in Bullario, ubi authenticè declaravit  
decretum Concilii procedere dumtaxat in  
Sponsalibus de futuro, non autem in matrimo-  
nio contracto per verba de præsenti, adeoque  
in matrimonio taliter contracto durare adhuc  
impedimentum publicæ honestatis in omnibus  
illis casibus & gradibus, quibus de jure veteri  
ante prædictum decretum Concilii introdu-  
ctum erat, de quibus sermo est in c. unico; de  
Sponsal. in 6. ut supra exposuimus num. 16.

46. Undecimum impedimentum est *affini-*  
*tas*, de qua supra diximus n. 37. & 38.

47. Duodecimum est impotentia perpetua  
ad copulam, ut constat ex toto tit. *de frigid.* &  
*malefic.* secus autem si impotentia sit solum  
temporalis, ex c. *fraternitatis* 6. eod. excepto si  
temporalis impotentia procedat ex defectu æ-  
tatis ad matrimonium requisitæ, quia contra-  
ctus ante pubertatem matrimonium non facit,

f

si tunc desit potentia generandi , & sufficiens  
discretio ad se obligandum , ex cap. attestaciones  
10. cap. de illis 9. aliisque juribus de desponsat. im-  
puber. Ætas autem pubertatis præsumitur  
esse in viro annus decimus quartus ex cit. cap.  
attestaciones , & cap. ex litteris 11. eod. in fœmi-  
na annus duodecimus , ex c. continebatur 6. eod.  
Videri potest Sanch. lib. 7. de matrim. disp. 10.  
& seqq.

48. Decimum tertium est si contractui ma-  
trimoniali non interveniat Parochus & duo vel  
tres testes ; quod decretum fuit à Trid. sess. 24.  
de reform. matrim. cap. 1. ubi matrimonia ab-  
que tali solemnitate contracta irrita esse decer-  
nuntur.

49. Decimum quartum , & ultimum impe-  
dimentum est raptus mulieris, quæ quamdiu in  
potestate raptoris manserit , non potest eidem  
validè matrimonio copulari. Quod si raptæ  
raptore separata , & in loco tuto , & libero  
constituta, illum in virum habere consenserit,  
eam raptor in uxorem habere potest : quam-  
vis nihilominus raptor ipse , ac omnes illi con-  
silium , auxilium , & favorem præbentes,  
sint ipso jure excommunicati , ac perpetuo in-  
fames , omniumque dignitatum incapaces ; &  
si Clerici fuerint , de proprio gradu decidant:  
& præterea raptor teneatur mulierem raptam,  
sive eam in uxorem duxerit , sive non duxerit,

de.

decenter arbitrio judicis dotare. Ita expressè  
Trid. sess. 24. de refor. matrim. cap. 6.

50. Quod tamen dictum est hactenus , cum  
nullo prædictorum impedimentorum contra-  
hi matrimonia validè posse , intelligendum  
est nisi dispensatio obtineatur , quæ pro im-  
pedimentis de jure dumtaxat Ecclesiastico sta-  
tutis obtineri potest , ac non nisi à Summo Pon-  
tifice peti , ut pluribus relatis docet Sanch. lib.  
8. de matrim. disp. 6. num. 14. ac de facto praxis  
ostendit , præsertim circa dispensationem pro  
impedimento consanguinitatis , circa quam  
etiam aliqua specialia statuta sunt , ut vide-  
re est in Trident. sess. 24. de reform. matrim. c. 5.  
ubi inter reliqua decernitur , ut in secundo  
gradu nunquam dispensetur , nisi inter magnos  
Principes , & ob publicam causam , quo tamen  
non obstante indubitatum est posse Summum  
Pontificem dispensare ob legitimam causam e-  
tiam cum inferioris conditionis hominibus.  
In petitione autem dispensationis pro iis con-  
sanguineis collateralibus , qui inæqualiter  
distat à communi stipite , quamvis eorum gra-  
dus sumatur à remotiori , ut dictum est num.  
33. attamen consuetudinis est ut exprimatur  
quo gradu uterlibet eorum distet à stipite , &  
si eorum alter ab eodem stipite distet unico gra-  
du , exprimendum id esse , constat etiam ex  
Const. B. Pii V. edita die 20. Augusti 1566.  
quæ

quæ in Bullar. est 13. inter ejusdem Pontificis Constitutiones.

51. Matrimonium legitimè , & absque impedimento dirimente semel contractum interfideles , & consummatum , indissolubile est quoad vinculum , juxta illud Christi Domini Matth. 19. *Quos Deus conjunxit, homo non separat.* Quod si ratum dumtaxat sit , sed non consummatum , dissolvitur per Professionem Religionis , ut constat ex Trid. sess. 24. can. 6. cap. ex parte tua 14. *de convers. conjug.* aliisque juribus. Ex hoc tamen non sit , dissolvi etiam per susceptionem Ordinis sacri , quia ea susceptio voluntaria solemne castitatis cum sacro Ordine annexum , quamvis satis sit ad impedientium matrimonium contrahendum , non sufficit ad contractum dissolvendum , juxta textum expressum in *extrav. unica de voto inter exprav. Joan.*

52. Non obstante tamen vinculi indissolubilitate , potest multiplex casus contingere , in quo divortium inter Conjuges fiat , nempe separatio habitationis , permanente vinculo conjugali. Ita contingeret si uterque conjux cum alterius licentia continentiam voveret &c. Item sufficiens causa divortii esset alterutrius conjugis adulterium , ex cap. dixit Dominus 32. q[uo]d est. Dixi alterutrius : quia si uterque ejus criminis reus est , divortium fieri non potest , ex cap. seq[ue]n[tia] nisict

nificasti 4. & cap. ex litteris 5. de divortiis , & c. intelleximus 6. & c. fin. de adulteriis , ubi ea reditum ratio , quod paria crimina quoad jus privatorum compensatione mutua deleantur, quæ etiam sumitur ex l. viro atque uxore 39. ff. soluto matrimonio. Item causa sufficiens est spirituale conjugis adulterium, hæresis videlicet , ut colligitur ex cap. non solum 6. 28. q. 1. cap. de illa 6. & cap. quanto 7. de divort. Id tamen discriminis pro re præsenti est inter hoc utrumque genus adulterii , quod carnale sit causa sufficiens perpetua separationis , ita ut conjux innocens non compellatur recipere uxorem adulteram etiam emendatam: at in casu spiritualis adulterii , id non universim procedat , sed dumtaxat quando conjux innocens recessit judicio Ecclesiæ ab hæretico. Si enim propria authoritate se ab eo separaverit , compellitur admittere conjugem emendatum , per textum in eod. cap. de illa. Demum si contingat incestus commissus à viro cum consanguinea uxoris suæ intra gradus prohibitos , amittit vir jus petendi debitum , ut patet ex pluribus sub. rubr. de eo qui cognovit consanguineam & c.

## T I T. X.

## De Rebus Sacris , &amp; Religiosis.

1. **A**bsoluto tractatu Sacramentorum , quæ nobilissimam rerum Ecclesiasticarum cor-

porarium classem constituunt, progedimur ad secundam earundem rerum speciem, quæ dicuntur specialiter res sacræ, eo quod speciali aliqua deputatione sint ad Dei cultum, & Religionem ordinatæ, quales sunt Ecclesiæ, Altaria, Sepulturæ de quibus specialiter agendum hic est.

2. Ecclesiæ nomen solet in utroque Jure dupliciter accipi: primò pro multitudine Fiduum. Secundò pro æde sacra, in qua res Divina fit, & Sacraenta adiunistrantur, quomodo etiam accipitur in jure civili *C. de Sacrosanctis Ecclesiis*, & hoc modo sumetur etiam hic à nobis.

3. Ecclesia tali modo sumpta, alia dicitur Parochialis, alia Baptismalis, alia Collegiata, alia Cathedralis, alia Metropolitana, alia Primatialis, alia Patriarchalis, alia Conventualis, alia Matrix, alia Curata. Ecclesia Parochialis est, quæ habet Parochiam, seu territorium, ac populum auctoritate Episcopi certis limitibus circumscriptum. Ecclesia Baptismalis est, in qua servatur fons aquæ ad Baptismum consecratæ. Collegiata ea vocatur quæ habet Canonicorum, seu Clericorum Collegium, & neque Cathedralis, neque Regularis est. Ecclesia Cathedralis dicitur, in qua Episcopus præsidet, à cuius Cathedra, seu Sede denominatur Cathedralis. Metropolitana est in

qua

qua præsident Archiepiscopus ; Primatalis , in qua Primas ; Patriarchalis , in qua Patriarcha. Conventualis vocatur , quæ habet conventum , seu cœtum Clericorum Regularium aut sacerdularium. Ecclesia Matrix vocatur quæ habet alias Ecclesias sibi subjectas , ut sumitur ex cap. ad audientiam 3. de Ecclesiis ædificandis. Demum Curata Ecclesia , prout distinguitur à Parochiali , ea est quæ jurisdictionem habet etiam exteriorem.

4. Pro construenda Ecclesia , illud potissimum servandum est , ut Superioris assensus interveniat , vel præcedens ipsam constructionem , vel saltem subsequens ; Episcopi videlicet , si Ecclesia construenda sit in loco non exempto , ut sumitur ex cap. nemo 7. de consecr. dist. 1. & cap. Auctoritate 4. de privileg. in 6. aut Summi Pontificis , si construenda sit in loco exempto , ex eod. c. authoritate. Si quis autem sine tali legitimo consensu Ecclesiam construeret , non acquireret in illa Juspatronatus , ut sumitur ex c. nobis 25. de jurepatr.

5. Sed & servari quoque debent conditiones nonnullæ , si præsertim ædificanda sit Ecclesia Parochialis , quæ authoritate Episcopi potest aliquando de novo ædificari etiam intra fines alterius Parochiæ , si ex nimia distantia non possit ita facilè ab omni populo frequentari Ecclesia Parochialis antiqua , ex c. ad audientiam 3. de Ecclesiis ædific. & Trid. seff. 21. de refor. c. 4. 6. Pri-

6. Primo enim requiritur, ut nova Ecclesia sufficienter dotetur pro sumptibus necessariis, & pro sustentatione necessariorum Ministrorum, quæ dos arbitrio Episcopi desumi poterit, & detrahi ex fructibus ad Ecclesiam Matricem quomodocumque pertinentibus; & si necessi fuerit, compellere poterit Episcopus populum ea subministrare, quæ sufficient ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam: quacumque reservatione generali, vel speciali, vel affectione super dictis Ecclesiis, non obstantibus, ut statuitur à Trid. in cit. cap. 4. Nam qui sentit commodum, sentire debet onus, cap. qui sentit 55. de reg. jur. in 6. & l. un. Cod. de caducis tollend. §. pro secundo.

7. Secundo requiritur, ut jus præsentandi Sacerdotem ad novam Ecclesiam reservetur illi, cui de jure debetur, qui videlicet eandem Ecclesiam fundat, ædificat, aut dotat, juxta ea quæ supra diximus lib. 1. tit. 15. ubi *de jure patrum*. Quare si ædificatio aut dotatio novæ Ecclesiae fiat ex redditibus Ecclesiæ antiquæ; ipsa Ecclesia antiqua, seu ejus Rector habet iuspatronatus, ex cit. c. ad *audientiam 3. de Eccles. ædif.* ubi etiam præcipitur ut honor competens pro facultate loci servetur Ecclesiæ Matrici, ex cuius redditibus nova ædificata est.

8. Ecclesiam de novo constructam atque sufficienter dotatam sequitur *Consecratio*, de quæ



qua est expressus in 3. Decretal. Fieri illa potest dumtaxat ab Episcopo illius loci, cum sit auctor Ordinis Episcopalis, ut diximus lib. 1. tit 3. num. 2. sumiturque ex cap. nullus 13. de consecr. dist. 1. Semel autem facta consecratione non potest iterum Ecclesia consecrari, nisi tamen ejus parietes interiores, vel ex toto, vel ex majori parte combusti fuerint aut devastati, ut statuitur in c. Ecclesiis 18. de consecr. dist. 1. aut nisi totum Ecclesiæ ædificium casu fortuito corruat seu consultò destruatur ex toto simul vel ex majori parte, c. de fabrica 22. ead. dist. Secus esset si modica aliqua pars restauraretur: quia in tali casu minor illa pars addita majori consecratæ censemetur & ipsa consecrationem habere, quemadmodum si oleum non consecratum modicæ quantitatis misceatur oleo consecrato quantitatis majoris, totum dicitur consecratum ex c. quod in dubiis 3. de consecr. Eccl.

9. Potest tamen multiplex casus accidere, in quo Ecclesia per Episcopum consecrata, & nullatenus destructa, debeat iterum ab Episcopo benedici, quando scilicet Ecclesia ipsa violatur atque polluitur. Primus ejusmodi casus est, si in ea committatur homicidium voluntarium contra Religionem, & libertatem debitam loco sacro, de quo casu sermo est in cap. proposuisti 4. eod. Secundus casus, quo Ecclesia polluitur, est per effusionem humani sanguinis vo-

luntariam , & contra cultum sacro loco debitum factam cap. fin. eod. Tertio polluitur Ecclesia per voluntariam humani seminis effusione , eod. c. fin. c. significasti 5. de adulteriis , c. Ecclesiis 18. de consecr. dist. 1. Quarto demum violatur Ecclesia , si in ea sepeliatur excommunicatus , c. consuliisti 7. de consecr. Eccl. ubi Hol. Joan. Andr. & Abb. afferunt , majori ratione Ecclesiam pollui , si consecretur ab Episcopo notoriè excommunicato : item si in ea sepeliatur Paganus , vel is qui baptizatus non sit , Ecclesia num. 25. & 26. de consecr. dist. 1. ubi iam præcipitur , ut exhumari debeat illius seulti cadaver , ac foras projici. Inde tamen non sequitur Ecclesiam pollui , si in ea sepelitur mulier Christiana gestans in utero fætum quia tunc fætus sepelitur tamquam pars ventris , ut docet Sylves. v. consecratio 2. q. 5. versio quartus casus est. Hæc dicta circa violationem Ecclesiæ, procedunt etiam in Ecclesia , quæ consecrata nondum sit , quia in prædictis casibus etiam ipsa polluitur , ut constat ex c. fin. de consecr. Eccl. & ex traditis à Panor. in c. consuliisti 7. eod. n. 4.

10. In singulis hisce casibus debet Ecclesia polluta reconciliari , juxta Rituale Romanum. Quod si Ecclesia consecrata est , reconciliari debet à proprio Episcopo , vel ab alio Antistite

ejus consensu, & reconciliari aspersione aquæ ab Episcopo sacratæ cum sale, vino & cinere, ex c. aqua 9. juncto cap. proposuisti 4. de consecr. Eccl. Si autem Ecclesia consecrata non est, sed tantum benedicta, potest à simplici Sacerdote reconciliari cum aspersione aquæ benedictæ, ex c. fin. eod. ubi solum dicitur eam esse protinus lavandam aqua exorcizata.

11. Præter consecrationem Ecclesiaz, præscribitur etiam in Jure Canonico consecratio Altaris, super quod celebrandum sit Divinum Sacrificium. Duplex autem Altaris species datur. Aliud enim est Altare mobile, sive portatile, quod etiam appellatur Altare viaticum in cap. fin. de privileg. in 6. eo quod ab uno loco ad alium transferri possit: aliud est Altare fixum, & stabile, quod scilicet certo aliqui loco, seu basi fixum est, ut ibi firmiter perseveret. Utrique huic Altari commune est non posse esse ligneum aut terreum, sed necessario debere esse lapideum, à tempore S. Sylvestri, qua de re extat etiam textus in cap. Altaria 29. de consecr. dist. 1. Præterea utrumque de jure ordinario non potest nisi ab Episcopo consecrari, ut colligitur ex c. quod in dubiis 3. de consecr. Eccl. & c. nullus Presbyter 23. de consecr. dist. 1.

12. Sicut autem Ecclesia semel consecrata non potest iterum consecrari, nisi in casibus paulò ante expressis: ita & Altare, sive mobile,

sive fixum, iterum consecrari nequit, nisi casus accidat, in quo pristinam consecrationem amittat. Eiusmodi casus est primò, si lapis notabiliter frangatur, ita ut in nulla sui parte integra Calicem cum Patena capere possit, ut colligitur ex cap. ligneis 6. & cit. c. quod in dubio 3. de consecr. Eccl. Secundo, si in eo frangatur sepulchrum Reliquiarum, quod in ipso esse debet, hoc est loculus ille in medio lapidis ubi reconduntur sacræ Reliquiæ ut docent communiter Canonistæ in cap. 1. & in cit. cap. ligneis 6. eod. quidquid sit utrum hoc sufficiens colligatur ex his testibus; sive ut sentit Layman lib. 5. sum. tract. 5. cap. 6. num. 9. servandum honestum ex usu, & consuetudine approbata, ut fractali sepulchro non possit in eo lapide celebrari. Tertio denum Altare fixum perdit consecrationem suam, si lapis ipse separetur a sua base cui affixus erat, juxta textum in c. 1. & c. quod in dubio 3. & c. ligneis 6. de consecr. Eccl.

13. Ex eo tamen quod in ipsis casibus execratur Altare, non inde infertur eo ipso etiam Ecclesiam execrari, seu consecrationem amittere: potest enim Altare esse execratum quantumvis Ecclesia consecrationem retineat, juxta textum in cit. cap. 1. eod. quemadmodum a converso potest Ecclesia esse execrata, puta quia e ius parietes collapsi, vel combusti sunt, retinente Altari consecrationem suam: sunt enim consecratae

secreta consecratione distincta. Aliter est de pollutione loquendum: nam & polluto v. g. per sanguinis effusionem Altari, tota Ecclesia polluta est; & polluta Ecclesia omnia etiam ejus Altaria polluta sunt: quia quolibet Ecclesiæ loco pollutio contingat, totam Ecclesiam afficit, ut notavit Layman. lib. 5. sum. tract. 5. cap. 5. in fine.

14. Præter consecrationem Ecclesiæ, & Altaris, statutus est etiam ab Ecclesia ritus consecrandi cæmeterium, quod nomen est græcum, significans domum dormitionis, & applicatur sepulturis Fidelium, eo quod fideles ibi quiescant suo tempore resurrecturi. Debet autem etiam ipsum à proprio Episcopo consecrari, vel si ab alieno, saltem de consensu proprii: totidemque modis etiam ipsum polluitur, quot polluitur Ecclesia. Imò si Cæmeterium sit Ecclesiæ contiguum, per pollutionem Ecclesiæ, censetur etiam Cæmeterium pollutum, cap. un. de consecr. Eccl. in 6. quia accessorium naturam sequi congruit principalis cap. Accessorium 42. de reg. jur. in 6. quamvis non è converso, quia polluto cæmeterio, non eo ipso censetur polluta Ecclesia quamvis ipsi contigua; ne minus dignum, majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur, ut habet tex-  
tus in cit. c. un. de consecr. Eccl. in 6.

15. Extat in 3. Decretal. in 6. & Clement.

M 3

ex-

expressa rubr. *De sepulturis* , ubi plura decernuntur circa jus Sepulturæ. Et primò tale jus regulariter competit Ecclesiis populum , sive Curam animarum habentibus , ut colligitur ex *cap. ex parte 5 de sepult.* Ex privilegio autem sive Summi Pontificis pro tota Ecclesia , sive Legati pro sua Provincia , sive Episcopi pro sua Diæcesi , competere etiam potest aliis Ecclesiis ut Religiosis convenit ex concessione Summi Pontificis expressa in Clem. 2. *de sepult.* §. *Hujusmodi quoque statuto.*

16. Quinimo omnibus generaliter tam viris , quam fœminis regulariter concessum est eligere sibi sepulturam , etiam extra propriam Parochiam , dummodo sint puberes , & liberum arbitrium seu usum habeant rationis. *ex cap. 1. de sepult.* juncta ibid. Gloss. v. *propriam eligere.* Quod si quis moriatur nulla facta electione sepulturæ , sepeliendus est in Sepulchro Majorum suorum , puta Patris , Avi , aliorumque Ascendentium , si illud habeat , ex eod *cap. 1. de sepult.* alioquin de jure communī sepeliri debet in propria Parochia , in qua domicilium habuit , & Sacramenta percepit , ut sumitur ex *cap. Ex parte 5. eod.* Mulier tamen vidua , si nulla sepultura electa decesserit , tumulanda erit in sepulchro mariti ultimi , si plures successivè habuit , *cap. Is qui 3. eod. in 6.* In his tamen , aliisque similibus attendenda est legitima loco-

decer-  
tale jus  
, five  
iture ex  
temsi-  
ive Le-  
oro su-  
cclesis.  
Summi  
Hujus  
am vi-  
sum es  
a pro-  
peres, &  
tationis  
opriam  
cta ele-  
ulchro-  
, alio  
ex eod  
ni sepe  
omici-  
t sumi-  
vidua-  
ulandi  
res suo-  
his ta-  
gitima-  
loco-  
locorum consuetudo , quemadmodum etiam rationabilis locorum consuetudo servanda est circa portionem **Canonicam** , quæ solvi debet Ecclesiæ Parochiali , in qua defunctus sepeliri debuisset , nisi alibi habuisset Sepulchrum Majorum , aut nisi alibi sepulturam elegisset , ut patet ex c. certificari 9. eod.

17. Sepultura Ecclesiastica , seu in loco Sacro danda est omnibus baptizatis , nisi ex aliqua lege **Canonica** vel consuetudine legitima propter aliquod crimen illa priventur : quemadmodum privantur non baptizati , hæretici , & excommunicati vitandi , ut quibus non communicavimus vivis , nec communicemus defunctis cap. **Sacris 12. eod.** ubi etiam præcipitur , ut si contingat aliquem ejusmodi in cæmeterio Ecclesiastico tumulari , exhumari debeat , & procul ab Ecclesiastica sepultura jaetari , si ab aliorum corporibus discerni possit , secus autem si discerni non possit , cum licet non obsit iustis sepultura nulla vel vilis , impiis tamen celebris , vel speciosa non profit. Item Ecclesiastica sepultura privantur Usurarii manifesti , si in hoc peccato decesserint , c. **Quia in omnibus 3. de usuris , & Clem. 1. de sepult.** Videri potest Sylv. v. **Sepultura q. 10.** Si quis autem ejusmodi criminosos in catibus non permisit sepelire in loco Sacro præsumat , ipso facto excommunicatur , à qua excommunicatione non absolvetur , nisi

M 4

prius

prius ad arbitrium dicēsani Episcopi, eis, quibus injuria fuit irrogata, competentem satisfactionem exhibuerit, ex cit. Clem. 1. de sepul. & præterea in casu sepulturæ traditæ Usurario manifesto, donec ad arbitrium Episcopi sui satisfaciat, ab Officii sui manet executione suspensus, ut decernitur in cit. cap. quia in omnibus 3. de usuris.

## T I T. XI.

## De immunitate Ecclesiarum, &amp; rerum ad eas pertinentium.

1. **O**Mnibus his locis, de quibus præced. tit. tractatum est, videlicet Ecclesiis, Altaribus, Cæmeteriis commune est Privilegium immunitatis Ecclesiasticæ, de qua est expressa rubrica in Decretalibus. Immunitas in genere derivatur à munere, quatenus nomen munieris significat onus, ut constat ex l. Munus 18. ff. de verbor. signif. adeoque immunitas nihil aliud est quam ab oneribus concessa exemptio. Hoc loco tamen immunitatem accipimus in paulo ampliori significatione, ita ut omnem Ecclesiarum Ecclesiasticorumque favorem exemptionem, ac privilegium complectatur.

2. Triplex autem Ecclesiasticæ immunitatis species assignari solet. Alia enim dicitur localis,

lis, quæ scilicet competit Ecclesiis, & aliis locis Ecclesiasticis: alia realis, quæ concessa est rebus, aut bonis ad Ecclesiam, vel Clericos pertinentibus: alia personalis, quam habent personæ Ecclesiastice.

3. Immunitas localis duo potissimum privilegia complectitur: primo ut loca Sacra, quibus illa concessa est, puta Ecclesia, Cemeterium &c. sint immunia ab actionibus prophaniis & secularibus, & loci sanctitati repugnantibus. Tales censentur esse lites sacerulares, & multo magis causæ, ubi de sanguinis effusione, & corporali poena agitur; cum Ecclesia Dei secundum Evangelicam veritatem domus Orationis esse debeat, non spelunca latronum, aut sanguinis forum, & absurdum sit, ac crudele ibi judicium sanguinis exerceri, ubi est tutela refugii constituta, ut dicitur in c. cum Ecclesia 5. de immunit. Eccles. Quod si de facto contingat aliquod saceruale judicium sive criminale sive civile in Ecclesiis exerceri, formando ibidem processus, aut proferendo sententiam, caret penitus omni labore firmitatis, ut statuitur in c. Decet 2. eod. in 6. ubi etiam plura alia actionum genera fieri in Ecclesia prohibentur, puta negotiaciones, vana & multo magis sceda, & prophana colloquia, publica Communitatum Concilia de rebus temporalibus &c. Prohibentur etiam in Ecclesiis ludi theatrales prophani,

c. Cum decorum 12. de vita & honest. Cleric. Item prohibentur convivia , c. Non oportet 5. & cap. Nulli 6. dist. 42. aliaque similia.

4. Secundo immunitas localis complectitur jus asyli , quo gaudent Rei, qui confugientes ad Ecclesiam , non possunt ex ea per vim extrahi, quod privilegium Ecclesiis concessum fuit ab utroque jure , ut constat de jure civili ex toto tit. Cod. de his qui ad Ecclesiam confug. & de jure Canonico ex cap. Inter alia 6. de immun. Eccl. cap. frater 10. 17. q. 4. aliisque juribus. Hoc privilegium extenditur ad omnes Ecclesias auctoritate legitima ad Divina celebranda deputatas, quamvis nondum sint consecratæ c. Ecclesia 9. de immunit. Eccl. imo & alia etiam pia loca, quia sunt cæmeteria , Monasteria , Domus Episcopi &c. videri potest Panor. in cit. c. Ecclesia.

5. Gaudent hac immunitate asyli omnes fideles relate ad tribunal sæculare , sive sint rei ex debito , sive ex delicto , etiam si excommunicati sint, aut personaliter interdicti , cum cit. cap. Inter alia generatim loquatur , & ubi jus non distinguit nec nos distinguiere debeamus, cum præsertim hoc privilegium asyli constitutum sit non in personarum , sed in Ecclesiarum favorem. Quinimo ex eadem ratione post Gloss. & Innocentium, & Hostiens. in eod. cap. Inter alia, tradit. Azor. p. 2. lib. 9. cap. 9. quæst. 9. verfic. si quaras gaudere etiam eadem immuni-  
tate

tate Judæum vel alium infidelem qui ad Ecclesiam configiat, quam sententiam fuisse confirmat à Sacra Congregatione Cardinalium controversiis jurisdictionibus præpositorum, testatur Barb. lib. 2. Juris Eccl. cap. 3. num. 44. Item eadem immunitate gaudere Hæreticum, dummodo ad Ecclesiam non ob hæresim, sed ob alia crimina configiat, tradit Sylv. ibid. citatus ab Azorio.

6. Verum autem Clerici aut Religiosi gaudent hac immunitate etiam relatè ad Tribunal Ecclesiasticum, controvertitur inter Doctores: in qua controversia, spectato juris rigore probabilius videtur etiam in tali casu immunitatem valere, adeoque Clericos configuentes ad Ecclesiam non posse ab illa extrahi ab Ecclesiastico Prælato. Videri potest Barb. in cit. cap. 3. lib. 2. Jur. Eccl. num. 135. & seqq. ubi pluribus adductis hanc sententiam confirmat.

7. Quod tamen dictum est gaudere hac immunitate omnes reos ex delicto, intelligendum est, nisi cæteroquin delictum ejus generis sit, quod per Sacros Canones ab omni participatione immunitatis excluditur. Ejusmodi olim tria delicta numerabantur, ex c. *Inter alia* 6. & c. *fin. de Immunit. Eccl.* ubi decernitur, ac declaratur non gaudere immunitatis privilegio publicos latrones, nocturnos depopulatores agorum, & committentes homicidia & mutilationes

membrorum in ipsis Ecclesiis vel earum cæmeteriis spe immunitatis Ecclesiasticæ.

8. Sed nunc eorum numerus aliquantulum amplificatus est à Greg. XIV. in Bulla, quæ incipit *Cum alias* edita die 28. Maii 1591. & est iusdem Pontificis in Bullario, ad cuius unicam formam nunc reducitur tota hæc localis immunitatis materia. Verba Bullæ excipientia particulares illos casus sunt quæ sequuntur: Ut laicis ad Ecclesiæ, locaque sacra, & religiosa predicta confugientibus, si fuerint publici latrones, viarumque grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores agrorum, quæ homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis earumve cæmeteriis committere non revertentur, aut qui proditoriè proximum suum occiderint, aut assassinii, vel hæresis, aut læsa Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei, immunitas Ecclesiastica non suffragetur.

9. Primus, & præcipuus immunitatis localis effectus est, ut qui ad Ecclesiæ confugit, non possit ex ea per vim aut dolo malo extracti; & si ita extractus fuerit, restitui debeat, ut constat ex juribus supra citatis. Alter etiam effectus est, ut Reus in Ecclesia non possit vinculis constringi cap. definitivit 33. 17. quest. 4. Tertiò quamdiu Reus in Ecclesia moratur, non potest in illū ferri sententia mortis vel alterius

pœnæ

poenæ capitalis, ex c. inter alia 6. de Immun. Eccl. Quarto non potest Reo existenti in Ecclesia negari necessarius victus, aut vestitus, aut impediri ne ad illum deferatur, ut expresse etiam statuitur in l. præsenti 6. C. de his qui ad Eccl. config. Quinto demum Reus existens in Ecclesia non potest spoliari rebus suis, quas secum attulit ad Ecclesiam ex cit. c. Definivit.

10. Quod si Judex aliquis Sæcularis prædictam immunitatem violaverit, per vim, aut dolo malo Reum extrahendo extra casus exceptos, aut sine legitima Prælati licentia, Sacrilegium committit, ipso facto in excommunicationem incurrit, ex supracit. constit. Gregor. XIV. §. 9. & Reum ex Ecclesia extractum restituere teneatur, ex c. Miror 8. 17. q. 4. Imo & tenetur resarcire omnia alia damna, quæ reo evenerint ex illa extractione, quia illorum omnium fuit iusta causa. Actus autem judiciales, atque sententia post talem violentam extractionem contra eundem Reum lata, irrita est ipso jure, ut pote non procedens à jurisdictione legitima, quæ non acquiritur per violentam extractionem, quæ ipso jure irrita est, ut expresse definitur in cit. Bulla Gregoriana.

11. Hæc dicta procedunt, ubi Reus violenter extrahitur ex Ecclesia absque legitima facultate Superioris Ecclesiastici quæ semper requiritur pro extrahendis Reis ab Ecclesia, tum

in casibus exceptis, tum in casibus non exceptis. Inter quos tamen illud discriminis est, quod in casibus exceptis pro quibus nulla immunitas prodest, requiratur atque sufficiat expressa licentia Episcopi, ejusve Officialis, nec non pro executione requiratur interventus personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputatæ, ita ut nullus aliis Episcopo inferior possit eam licentiam impartiri: at in casibus non exceptis ea facultas dari non possit ab Episcopo, ut sumitur ex cit. const. Gregorii, in qua solum pro casibus exceptis ea extractio permittitur cum relatis conditionibus, & pro casibus non exceptis omnino negatur.

12. Secunda species immunitatis Ecclesiasticæ est immunitas realis, quæ videlicet competit rebus ad Ecclesiæ pertinentibus. Ad hujus intelligentiam, sciendum est, bona Ecclesiastica esse triplicis generis. Alia sunt consecrata, aut benedicta, aut saltem ad Divinum cultum, tanquam ejus instrumenta legitime deputata, quælia sunt ipsæ Ecclesiæ, cæmeteria, vasa sacra &c. & ejusmodi bona esse immunia ab omnibus sacerdotalibus oneribus & tributis manifesti juris est ex c. Non minus 4. de Immun. Eccl. aliisque Juribus, & recentius ex Trid. sess. 25. de refor. cap. 20.

13. Alia sunt bona Ecclesiastica, quæ quamvis consecrata aut benedicta non sunt, pertinent

tamen

tamen ad Ecclesiam, qualia sunt prædia Ecclesiarum, aut alia similia bona, sive mobilia, sive immobilia. Ejusmodi etiam bona sunt ab omni reali onere laicali prorsus immunia, ex c. *Sancitum 1. de censibus.* Si præsertim sint bona ad fundationem aut dotationem Ecclesiarum pertinentia, in quo casu liberantur etiam ab omni onere reali, cui erant supposita, antequam ad Ecclesiam pervenirent, ut pluribus confirmat. Fagnan. in cit. c. *Non minus de Immun. Eccl. n. 8.* Secus esset si aliquod onus merè reale perpetuum, certum, & invariabile, esset prædiis seu bonis illis affixum propter ipsa, in quo casu si ejusmodi prædia ita gravata ad Ecclesiam pervenirent, & non per modum dotis, aut fundationis; tunc cum suo onere in Ecclesiam transirent juxta c. *Tributum 22. 23. q. 8.* quod tuisse etiam confirmatuni à Sacra Rota in *Brun-dusina Gabella 13. Febr. 1604. coram Penia,* refert Fagnan. in cit. c. *Non minus 11. 9.* Aliis tamen oneribus eadem bona à sæculari magistratu gravari non possunt, postquam sub Ecclesiarum potestate constituta sunt.

14. Alia demum sunt bona, quæ pertinent ad particulares personas Ecclesiasticas, sive sint bona ex titulo spirituali acquisita, qualia sunt redditus Beneficiorum &c. sive sint acquisita titulo temporali, v. g. ex successione vel Testamento &c. quæ vocantur etiam bona patrimonialia.

nialia. Omnia hæc utriusque generis bona gaudent immunitate à sacerdotalibus exactionibus ut firmitat communis sententia, ex cit. c. Non minus de immun. Eccles. & c. Quanquam 4. de censib. in & aliisque juribus, quæ omnia confirmat Urbanus VIII. in sua Bulla edita die 5. Jun. 1641. quæ incipit. *Romanus Pontifex & est 270. ejusdem Pontificis in Bullario.*

15. Quod si contingat in Rep. adeo gravis necessitas communis laicis & Clericis, ut deficien-  
tibus laicorum facultatibus, Episcopus cum  
suo Clero judicaret illam sublevandam esse per  
aliquod subsidium Ecclesiasticum; consulto  
prius Summo Pontifice, & absque omni coactio-  
ne, posset aliquid in communi à Clericis sponte  
conferri, juxta textum in cit. c. Non minus 4. &c.  
*Adversus 7. de immunit. Eccl.*

16. Tertia, & ultima species immunitatis Ec-  
clesiasticæ est quæ dicitur immunitas persona-  
lis, ratione cuius Clerici sunt exempti à potesta-  
te laicali, ut constat ex c. Ecclesia Sanctæ Mariae  
10. de constitut. aliisque pluribus. Hæc exemptio  
duplicem potissimum effectum habet. Pri-  
mus est, quod Clerici à potestate laica obligari  
non possint ad munera personalia, c. Ecclesi-  
rum 68. 12. q. 2. l. Omnes 32. §. Privilegiis. c. de E-  
pisc. & Cler. & l. Generaliter 51. C. eod. Item ob-  
ligari non possint ad solvendas exactiones, quæ  
nonnumquam à potestate sacerdotali suis subditis  
impo-

imponuntur, ut expresse decernitur non solum in Jure Canonico, textibus supra citatis; sed etiam in Jure civili l. 1. C. eod. & l. Placet 5. C. de Sacros. Eccl. Videri potest Castrop. p. 2. tract. 12. disp. un. punct. 9. aliquique ab ipso citati.

17. Alter effectus Ecclesiastice immunitatis personalis est quod Clerici sint exempti à jurisdictione Judicis Sæcularis tum in causis civilibus, tum in criminalibus, unde immunitas sub hoc respectu appellari solet privilegium Fori, quod est concessum in favorem totius Ordinis Ecclesiastici, juxta textum expressum in c. Si diligenti 12. de foro compet. aliisque juribus; unde eidem privilegio renunciari non potest à persona privata, ut habetur in eod. c. Si diligenti. Quod si Judex aliquis seu Dominus sæcularis quolibet modo compellat seu compelli faciat vel procuret quomodo à Clerico coram Judice Ecclesiastico cui subiectus est, litigetur, ipso facto est excommunicatus, ex c. Quoniam. 4. de immunit. Eccl. in 6.

18. Nequit igitur Clericus coram sæculari Judice causam dicere, sed dumtaxat coram Ecclesiastico: quod tamen intellige, ubi Clericus sit reus, secus enim contingere si esset Actor contra aliquam personam laicam in causa mere temporali: quia tunc adire deberet sæculare tribunal, juxta generalem Juris regulam etiam à Sacris Canonibus approbatam, Actor sequi debet

debet forum Rei, de qua sermo est in c. Si Clericus 5. & c. Cum sit generale 8. de foro compet. Quod si contingat in aliqua causa Clericum simul, & laicum esse reos; tunc vel illa causa est separabilis, vel est inseparabilis. Si est separabilis, quilibet in suo foro conveniendus est, hoc est Clericus in foro Ecclesiastico, & Laicus in saeculari, quia in causa separabili socius delicti non gaudet privilegio sui socii juxta l. Si quis §. 1. ff. de furtis. Si est inseparabilis; tunc de jure uterque conveniendus esset coram Judice Ecclesiastico, quia supposita inseparabilitate, minus dignum trahi potius debet à magis digno, quam è converso: quidquid sit utrum in praxi ita servetur, necne.

19. Hoc privilegio fori gaudent omnes Clerici in Sacris Ordinibus constituti, idemque juris olim servabatur in Clericis minoribus, imo & prima tantum Tonsura initiatis ut sumitur ex c. 2. de foro compet. Nunc tamen attento jure Trid. sess. 23. de refor. cap. 6. Nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus fori privilegio gaudet, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores Ordines suscipiendos, versetur.

20. Quod



20. Quod attinet ad Clericos minores conjugatos, brevioribus quoque finibus eorum immunitas restricta est. Exempti enim non sunt à potestate judicis sacerdotalis, nisi quoad causas criminales, sive criminaliter, sive civiliter agitatas, idque nonnisi cum unicis, & Virginibus contraxerint, ac præterea Tonsuram, & vestes deferant Clericales, ex cap. unico de Clericis conjug. in 6. & nonnisi alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, quæ conditio addita fuit à Trid. sess. 23. de refor. cap. 6. Quoad reliqua, etiam servatis omnibus istis conditionibus, Ecclesiastica immunitate non gaudent, ex cit. c. Unico: unde inferunt communiter Doctores, ipsos non esse exemptos à jurisdictione seu potestate Judicis sacerdotalis quoad causas civiles, neque solutos ab obligatione solvendi tributa, sed in hac parte ut laicos esse reputandos, ut etiam tradit Glos. ab omnibus recepta in cit. c. Unico.

21. Sed & quidam casus sunt, in quibus Clericus etiam in Sacris constitutus Ecclesiastica hac immunitate non fruitur ex præscripto Sacrorum Canonum, tum quatenus immunitas dicit exemptionem à solvendis tributis, tum quatenus explicat exemptionem à potestate fori sacerdotalis. Inter reliquos ille est qui continetur in textu cap. fin. de Vita, & benef. Cler.

*Cleric.* circa Clericum negotiatorem, qui si tertio monitus non resipiscat, sed prætermisso Di-  
vinis Officiis, negotiationibus infistat, privatus  
manet exemptione à tributis, & tamquam lai-  
cus hac in parte habendus est, relate ad res per  
negotiationem acquisitas. Videri potest Mol-  
ina de *Just.* tract. 2. disp. 342.

22. Alius etiam casus est in c. *Verum* 7. 6.  
*Ex transmissa* 6. de *foro compet.* circa Clericum  
feudarium: in causa enim feudali, sive de pro-  
prietate feudi, sive de ejus possessione agatur,  
Clericus feudarius conveniri debet eoram  
Domino feudi, quamvis iste sacerdotalis sit, ut  
pluribus explicat *Clarus* §. *feudum* q. 90. v. *Sed*  
*quid s' vassalli*, *Menochi* de *retin. possess. rem.* 3. n.  
396. & seq. aliique plures citati à *Castrop.* tract.  
12. disp. un. pun. 7. n. 3.

23. Alius demum casus est, si aliquod ex iis  
delictis committatur, quibus in pœnam statu-  
ta est à Jure privatio immunitatis à foro laicali.  
Eiusmodi delictum est, si Clericus nec in modo  
tonsuræ, nec in vestimentorum forma, nec in  
qualitate negotiorum de Clericatu quidquam  
ostendat, & tertio monitus ab Episcopo emen-  
dationem contemnat, ex c. *Contingit* 45. de *sent.*  
*excomm.* Item si Clericus jaculatoriam artem  
per annum exercuerit, ipso jure: si autem tem-  
pore breviori, & tertio monitus non resipiscit,  
privatur omni privilegio Clericali, ex c. un. de  
vita

vita & honest. Cler. in 6. & sic de reliquis, quæ videri possunt in Clem. 1. de vita & honest. Cleric. c. Cum non ab homine 10. de judiciis, aliisque pluribus. Videri etiam potest Castrop. in cit. erat. 12. disp. un. puncto. 6. & Canonistæ communiter in tit. de foro compet.

24. Quæ hactenus dicta sunt de Clericis Ecclesiastica hac immunitate fruentibus, debent cum proportione intelligi etiam de Religiosis, imo & de Novitiis, ac Laicis Religionum, qui omnes hanc immunitatem participant, ut colliguntur ex c. Non dubium 5. de sent. Excomm. & c. Religioso 21. §. quamvis eod. in 6.

## T I T. XII.

## De rebus Ecclesiae alienandis, vel non.

1. **A**bsolutis iis, quæ pertinent ad res Sacras, & religiosas Ecclesiae, aliquid postremo dicendum superest de temporalibus rebus Ecclesiarum: circa quas illud in primis sciendum est prohibitam esse de Jure Canonico alienationem, ut constat ex toto Decret. tit. *De rebus Eccl. alien. vel non*, quod statutum fuit, ne Ecclesiaz sua congrua sustentatione destitutæ deficerent, quia Ecclesia corporalis, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficit, sicut nec anima sine corpore

pore corporaliter vivit, c. Si quis objecerit 7. 1. q. 3. Consonat etiam c. fin. 12. q. 1. ubi dicuntur Prælati rerum Ecclesiasticarum procurationem quodammodo gerere, non proprietatem.

2. Cum autem hæc prohibitio sit favorabilis Ecclesiæ, accipiendum est nomen alienationis in significatione latissima, ita ut circa res Ecclesiæ censeri debeat prohibita quæcumque translatio dominii, sive directi, sive tantum utilis; ideoque non solum donari, vendi aut permutari non possint; sed neque concedi in feudum, aut emphiteusim; ( exceptis casibus aut circumstantiis, de quibus paulò infra sermo erit, ) nec particulariter hypothecari, nec locari ultra triennium &c. ex cap. Nullis de reb. Eccles. non alienan. & ex extrav. un. inter comm. eod. quibus etiam consonat c. Odia 15. de reg. Jur. in 6. Ex eadem ratione favorabilitatis, in præsenti nomen Ecclesiæ extenditur ad omnem locum plium auctoritate Episcopi constitutum, cuius etiam res alienari non possunt.

3. Hæc generalis regula non alienandi Ecclesiasticas res, olim locum habebat, ubi justa aliqua causa, & statuta juris solemnitas non interveniret: poterant enim res Ecclesiistarum alienari concurrentibus his duabus circumstantiis, videlicet legitima causa & solemnitate Ju-

ris, ut constat ex c. *sine exceptione* 51. 12. q. 2. Causa legitima censebatur esse, si Prælatus aliquid alienabat, ut meliora prospiceret, pro solemnitate autem juris requirebatur consensus totius Cleri judicantis sine dubio eam alienationem profuturam Ecclesiæ, ut præscribitur in cit. c. *Sine exceptione*.

4. Spectato tamen jure recentius statuto in cit. Extrav. *Ambitiosæ un. de reb. Eccl. non alien. inter comm.* ad omnem omnium rerum Ecclesiasticarū alienationem, sive quoad directum dominium, sive quoad utile, licite & valide faciendam, requiritur consensus Summi Pontificis: cum præsertim Prælati à Papa confirmati emittant juramentum, quo jurant se nihil alienaturos de bonis Ecclesiasticis, inconsulto Romano Pontifice. Si quis autem absque tali consensu aliquid alienare præsumperit, pluribus gravibus penitentiis subjicitur, & alienatio illa irrita est, ut videre est in ead. extrav.

5. Excipiuntur tamen ab hac regula terrulæ seu vineolæ exiguae & Ecclesiæ minus utiles, aut longe positæ quas si necessitas fuerit, Episcopus alienare potest, ex c. *Terrulas* 52. 12. q. 2. cui canonni nec derogatum fuisse à cit. extrav. *Ambitiosæ*, nec à Conc. Trident. censuit Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum die 11. Januar. 1596. teste Fagn. in cap. *Nulli de reb. Eccl. non alienan. n. 25.*

6. Item

6. Item in eadem extrav. *Ambitiosa* excipiatur contractus Emphyteuticus, dummodo tres istæ conditiones in contrahenda emphyteusi reperiantur, quod scilicet fiat in casibus à jure permisis, quod fiat de rebus, & bonis in emphyteusim ab antiquo concedi solitis, demum quod tempore contractus detur evidens Ecclesiæ utilitas.

7. Excipiuntur etiam ibidem fructus & bona, quæ servando servari non possunt pro instantis temporis exigentia, quales sunt res mobiles, quæ modicum durant, & usu consumuntur, & non fructificant: quemadmodum etiam in jure civili prohibetur Tutoribus vendere bona pupillorum, exceptis iis quæ servando servari non possunt, ut constat ex l. Lex quæ Tutor. res 22. §. Jam ergo venditio C. de administr. Tutor. juncta ibid. glos. v. exceptis.

8. Præter bona temporalia ab Ecclesiis immediate possessa considerari quoque possunt ea bonorum genera quæ à Clericis possidentur, qualia sunt in quibus fundantur ipsorum beneficia, aut etiam ea quæ acquirunt ex redditibus Ecclesiasticis, & vocari solent peculium Clericorum, de quo est expressus titulus in 3. Decretal. Omnia hæc ejusmodi bona participant etiam privilegium in alienabilitatis, quatenus nec testamentario, nec successorio jure cuiquam hæredum prohæredumve relinquere possunt, sed Eccle-

Ecclesiæ relinquenda sunt, ex textu expresso in  
*c. Ut unusquisque 3. & c. fin. de peculio Clericor.*  
 supposito quod ex redditibus Ecclesiasticis ac-  
 quisita sint, aut rationabiliter præsumatur, ex  
 redditibus Ecclesiæ fuisse acquisita atque emp-  
 ta, quemadmodum præsumi debet, si Clericus  
 nihil habens patrimonii promotus fuerit adEc-  
 clesiasticum beneficium, ac postea emerit præ-  
 dia, &c. ex *c. 1. eod.*

9. Utrum autem Clerici sint omnium red-  
 dituum Ecclesiasticorum perfecte Domini, et  
 iam quoad illam partem, quæ superflua est ne-  
 cessariæ eorum sustentationi : an potius sint  
 ejusdem partis superfluæ solum administrato-  
 res, ita ut teneantur lege justitiae ad illam ero-  
 gandam in pauperes aut in alios pios sumptus,  
 est celebris quæstio à Theologis agitata, apud  
 quos ejus resolutio peti potest.

10. Quomodo autem omnia hæc Ecclesi-  
 stica bona gaudeant privilegio immu-  
 nitatis, explicatum fuit in tit.  
 præced.



N

INSTI.